Class C
Section 2
Book No.
Accession No.

INSTITUT
CATHOLIQUE
DE PARIS

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

—

S. METHODIUS,

LACTANTIUS,

JULIUS FIRMICUS MATERNUS.

TOMUS I.

S.-CLODOALDI, E TYPOGRAPHEO BELIN-MANDAR.

LUCII CÆCILII FIRMIANI

LACTANTII

OPERA.

EDITIO NOVA,

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS.

TOMUS PRIMUS.

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, IH.

208 L151L v.1

208.431 L151L v.1

PARISIIS,

APUD PAUL MELLIER, BIBLIOPOLAM,

PLACE SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

1842.

LITERARY FRANCISCAN MONASTERY 3140 MERAMEC ST. ST. LOUIS, MO.

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S.S. CORDIS JESU.

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

208
L1514
v.1

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S.S. CORDIS JESU

16825

SANCTUS METHODIUS,

EPISCOPUS ET MARTYR.

CONVIVIUM VIRGINUM.

FRAGMENTA LIBRORUM

DE RESURRECTIONE,

DE LIBERO ARBITRIO,

DE CREATURIS.

SANCTUS METHODIUS,

EPISCOPUS ET MARTYR.

(AN. 312.)

GRÆCUS.

S. METHODIUS, cognomine *Eubulius* (S. Epiph., Hæres. LXIV), « Olympi, Lyciæ, et postea Tyri epis- » copus » (S. Hier., De viris illustr., c. LXXXIII), post sanctum Tyrannionem, celeberrimum sub Diocletiano martyrem, hujus ecclesiæ episcopatum suscepit. Origenis primum defensor acerrimus, deinde vero infensus hostis, Socratis historici vituperationem, et Eusebii Cæsariensis (Ariani hominis) silentium promeruit. Porphyrium religioni christianæ insultantem « vir apprime doctus acerrimusque veritatis patro- » nus » (S. Epiph., Hær. LXIV) « confectis nitidi com- » positique sermonis libris » (S. Hier., De vir. illustr., c. LXXXIII) debellavit. « Ad extremum novissimæ per- » secutionis, sive, ut alii affirmant, sub Decio et Va- » leriano, in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est, » teste Hieronymo (ibid.). Sed priori narrationis parti potius insistendum videtur, ejusque martyrium ad annum 311 vel 312 ab eruditis merito refertur.

Plura scripserat opera, e quibus nunc tantum

supersunt : 1° *Convivium virginum* ; 2° fragmenta quædam libri *de Resurrectione;* 3° fragmenta libri *de Libero arbitrio* ; 4° fragmenta libri *de Creaturis.* Quæ integra excudi curabimus, juxta Bibliothecæ Patrum editionem. Superest insuper fragmentum sermonis *de Martyribus;* quod, cum apud Theodoretum Dialogo I reperiatur, ad tempus dimittitur. Sermo *de Simeone et Anna*, necnon et oratio *in Ramos palmarum*, et homilia *de Cruce et Passione Domini* falso illi tribuuntur.

In hujus scriptis plura minus accurate dicta, sed tamen benigne interpretanda, ut multis veterum accidit, hinc et inde occurrunt, quæ brevibus notis illustrabuntur. Sic librorum argumenta et dicendi modus ab antiquis laudata sunt, ut modo *disertissimus vir* (Id., in cap. XII Daniel.), modo *clarissimus et eloquentissimus martyr* (Id., in Apol. adv. Rufin.), modo *sapientissimus* (Anast. Sinaït., l. II in Hexaëm.) scriptor ab antiquis fuerit laudatus.

S. Methodii scripta fuerunt excusa primo, quoad fragmenta quædam, a Petro Combefisio, anno 1664, cum sanctis Amphilochio et Andrea Cretensi; postea vero, quoad Convivium virginum, auctore Leone Allatio, Romæ, 1658, in-8°. Hunc librum denuo translatum Lutetiæ Parisiorum edidit Petrus Poussinus, anno 1657, in-fol. Iterum prodiit, curante P. Combefisio, anno 1672, et etiam in Bibliotheca Patrum Lugdunensi, anno 1677, in-fol.; unde nunc illud desumptum edimus.

Convivium virginum gallice versum habemus a D. Tronchai, qui D. Tillemont vitam conscripsit. Vide insuper D. Guillon in Bibliotheca gallica, tom. V, pag. 120 et seqq. (Paris., 1824, in-8°).

SANCTI METHODII,

EPISCOPI ET MARTYRIS,

CONVIVIUM DECEM VIRGINUM,

SIVE

DE CASTITATE [1].

PERSONÆ

quæ hanc scenam agunt, vel sermones habent, vel interloquuntur.

EUBULIUM. — MARCELLA. — THEOPATRA. — PROCILLA. GREGORIUM. — THEOPHILA. — THALLUSA. — THECLA. ARETA. — THALIA. — AGATHA. — TYSIANA. — DOMNINA.

EUBULIUM. Oportunissime advenis, ô Gregorium : nam et modo te quærebam, audire cupiens de congressu Marcellæ ac Theopatræ, reliquarumque Virginum, quæ isthic in convivio fuerunt, deque sermonibus, quos inter se de Virginitate contulerunt, quales hi fuerint. Aiunt enim eas magnifice adeo ac gnaviter pro se quamque in ea contentione esse versatas, ut nihil admodum omiserint, quod ad

[1] Ex Max. Biblioth. SS. Patrum. (Lugd. 1677) tom. III, pag. 676 et seq. — Vide D. Guillon, tom. V, pag. 120 et seq.

istius argumenti tractationem plenam videri necessarium possit. Si ergo alterius rei venisti causa, ea censeo in aliud dilata tempus, ne continuo cunctere rogantibus nobis cuncta ordine exequi.

Gregorium. Excidi videlicet mea spe : præripuitque mihi aliquis gratiam primi nuntii, rerum de quibus quæris. Ego vero nihil horum te quidquam audivisse a quoquam arbitrata, gestiebam scilicet, placebamque non parum eo mihi, quod primo sperarem indicium rei tibi placituræ delaturam. Quare festinabam venire huc ad vos idipsum verita quod accidit, ne a quoquam præoccuparer.

Eubulium. Bono animo esto : nihil enim, ô bona, exacte comperimus. Nec qui nuntiavit indicare aliud potuit, quam sermones habitos; quinam ii qualesve fuerint, interrogatus nescire se aiebat.

Gregorium. Vultis igitur, quoniam huc ea causa veni, audire a principio cuncta quæ dicta sunt? an potius aliis omissis, ea me referre solum quæ memorabilia indicavero?

Eubulium. Sic omnino. Cæterum nobis a principio, ô Gregorium, primum insinua, et congressus ubi fuerit, et de apparatibus ciborum; de te quoque, ut vina ipsis fuderis;

. . . . . Illæ autem pateris genialiter aureis
Ut se invitarint oculis ad sidera versis [1].

Gregorium. Ut semper exquisitus eruditusque supra modum es in colloquiis, ô Eubuli, omnium plane, comparatione tecum tacita, defectum prodens!

Eubulium. Non est quod de his, ô Gregorium, nunc jurgium moveas; sed quod te rogamus, narra nobis, quæ ab initio sunt gesta, nec aliter feceris.

[1] Il. IV, 4.

Gregorium. Ego conabor. Primum vero mihi responde : cognoscisne Areten, Philosophiæ filiam?

Eubulium. Equidem.

Gregorium. Hujus in hortum, eum qui ad orientem est, vocatæ ut maturis ejus fructibus vesceremur. Ego vero (dixit mihi Theopatra, ex hac enim percontans audiebam) Procillaque simul et Tysiana, ut asperam et difficilem ambulavimus, ô Gregorium, insuper etiam præruptam et sublime assurgentem semitam! Postquam autem, addebat Theopatra, prope jam ad locum accesseramus, grandis quædam et formosa sedate decoreque gradiens occurrit nobis obviam Matrona, stolam splendidissimam nivei plane candoris induta : tota omnibus divinæ pulchritudinis radiis fulgens. Pudor gravitate mixtus efflorescebat in facie. Aspectus, qualem vidisse nunquam memini, simul terribilis, simul hilari suavitate temperatus. Forma tota naturalis, nulli curæ debita, fuci juxta artisque expers. Hæc igitur progressa læto admodum vultu, unamquamque nostrum quasi mater filias post longam intuens absentiam, amplexibus et osculis excipiebat; O Filiæ, dicens, mihi vehementer optanti in pratum incorruptionis inducere vos, vix tandem advenistis, terrores, ut verisimile est, per viam passæ varios insidiantium reptilium. Videbam enim e specula prospiciens, sæpe in transversum abactas, et metuebam ne desilientes per abrupta laberemini. Sed gratiæ debentur ei, cui vos, Filiæ, Sponso copulavi, qui suo numine propitio fortunavit cuncta, et successus, secundum vota dedit. Hæc simul loquens, simul horti septum patentis ostendens, Festinemus, inquit, ingredi quando clausa nondum janua est. Sic introductæ deprehendimus Theclam, Agatham, et Marcellam accinctas ad cœnam. Statim igitur Areten dixisse referebat : Accedite et vos, et hic ordine recumbite, has studii vobis institutique socias, modo etiam sodales habituræ : sumus

autem omnes, ut opinor, bene ominato numero decem. Locus porro erat incredibiliter amænus, tranquillæque plenissimus voluptatis. Levis per eum aer mollissime diffundebatur, puræ lucis radiis suavissime temperatis splendens. Vivus in medio scaturiebat fons lenissimo fluxu oleum imitans, dulcissimus ad potum, unde liquor pellucidus, et purus, varie divisus in rivos errantibus passim venis universum late hortum copiosissime rigabat. Quo ebriæ humore omnis passim generis felices arbores compta recentibus pomis capita jactabant : neque usus alius quam ad speciem et ornatum erat fructuum beate pendentium. Jam prata æterni veris immortali adorea ridentia, suavissime spirantibus et mire variis coronata floribus; per quos lenis aura commeans odorem late jucundissimum spargebat. Erat autem prope Agnus arbor excelsa, sub qua locum nobis considentibus opportunum rami ejus densi foliis et patule diffusi præbuerunt.

Eubulium. Iterum mihi videris, ô beata, diversorium adumbrare Paradisi.

Gregorium. Vere consulteque dicis. Ut igitur omni genere ciborum et jucunditate undique varia perfusæ nihil jam voluptatis aut deliciarum desiderare poteramus, referebat illatum post hæc ab Arete sermonem hunc quemdam : O flores meæ coronæ, ô pulcherrimæ Virgines incorrupta Christi prata innuptis legentes manibus, cibi quidem jam et epularum abunde est; cuncta enim nobis affatim suppetunt. Quid autem est præterea quod volo; et quid expecto? utique sermonem de Virginitate ab unaquaque vestrum. Incipiat vero Marcella, quoniam et prima recumbit, et omnium antiquissima est; quam equidem postquam bene certaverit, nisi fecero invidendam immarcessibilibus sapientiæ coronans ipsam foliis, dedecus ipsa mihi consciverim. Marcellam autem hinc incipientem hunc ferme in modum locutam ferebat.

MARCELLA.

ORATIO PRIMA.

Magna supra modum quædam res est et mirabiliter gloriosa Virginitas : ac si clare dicere oportet, sequendo sanctas scripturas, uber, primitiæ, flos delibatus Ecclesiæ. Optima eadem pulcherrimaque sola professio est. Quare Dominus in regnum cœlorum eos potissimum transcribit, qui seipsos virgines sacrarunt, ubi eunuchorum differentias in Evangeliis tradit[1]. Rarissima quippe res est castitas, et hominibus ægre contingens, ac quanto principalior magnificentiorque laus est, tanto periculis obsidetur pluribus. Ergo indoles requirit fortes ac generosas, quæ rapido impetu voluptatis in pronum præceps supervolantes flumen, animæ cursum suum sublimem incitant, a scopo nusquam deflectentes, quod alacri leviter saltu supergressæ mundum per celerrimam velocitatem mentis, et in cœlesti vere constitutæ culmine, ipsam perspicue contemplentur incorruptionem ab Omnipotentis impolluto scaturientem sinu. Hoc nectar gignere non valet terra; uni cœlo datum est illud ex se profundere. Itaque virginitatem ambulare quidem supra terram, sidera vero contingere vertice reputandum est. Cujus desiderio quidam tacti leviter, ad solum finis ejus intuitum concepto, cum iter tantum illotis pedibus attentassent, errore ac stupore proprio sublapsi, re infecta ex medio reverterunt cursu, nequaquam videlicet dignum he-

[1] Matth. xix, 12.

roico incepto mentis propositum assumentes. Non enim solum incorrupta corpora servari oportet : uti neque templorum major habenda cura, quam signorum in iis consecratorum est : sed animas, quæ sancta simulacra in corporibus velut in templis erecta sunt, præcipue curare ac justitia ornare convenit. Curantur vero et concinnantur tunc maxime, cum impigre in sacræ doctrinæ perceptionem incumbentes contentionem non remittunt, donec assidue terendis sapientum foribus, ipsius veri, prout in se est, vim naturamque ipsam amplexæ sint. Ut enim sale tabes putredinesque absumuntur carnium, cunctaque ex iis corruptionis semina terguntur : sic in Virgine brutæ omnes corporis cupiditates doctrinarum austero cœlestium adurendæ sunt. Nec vitari potest quin non conspersa Christi vocibus tanquam salis micis anima fœteat ac verminet ; uti flens agnoscit, dum instinctu pœnitentiæ clamat in montibus, rex David : « Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ [1] : » quoniam videlicet non defricuerat velut sale quodam sobriis meditationibus seipsum : ex qua remissione postea defluens, etiam adulterio computruit. Hinc omnis oblatio in Levitico, nisi sale prius condita fuerit, a Dei sacrificio repellitur [2]. Sal porro nobis mordax, ad utilitatem astringens, spiritualis omnis Scripturarum data meditatio est ; qua sine ipsa Omnipotenti per verbum offerri animam nefas est. « Vos *enim* estis sal terræ [3], » Dominus ait Apostolis. Oportet igitur Virginem honestarum semper rerum studio flagrare, et inter eminentes sapientiæ laude locum tueri honoratum ; nihil pigrum aut molle habere, sed excellere, et heroico virginitatis proposito dignos sensus alere ; detergentem meditatione doctrinæ saniem semper defluentis voluptatis ; necubi forte latens vel minima putredo generet vermen incontinentiæ. Nam « innupta cogitat quæ Domini

[1] Psalm. xxxvii, 6. — [2] Lev. ii, 13. — [3] Matth. v, 13.

» sunt, quomodo placeat Domino; ut sit sancta corpore et » spiritu [1], » ait beatus Paulus. Multæ autem audiendi ac discendi curam pro supervacanea et arbitraria ducentes, existimant multum deberi sibi, si vel ad breve tempus aures præbuerint, quas a sacris disputationibus excludere oportet. Angustæ enim atque humili naturæ, sapientiamque specie duntaxat tenus affectanti, divinas disciplinas communicare non expedit. Qui enim non ridiculum sit, apud eas verbose de talibus disserere, quæ in re quidem exigui momenti, quo perfectissime optatum assequantur, nihil sibi ad omnem industriæ contentionem reliqui faciant; in necessariis vero, per quæ potissimum apud ipsas Castimoniæ amor augetur, non summam abhibeant diligentiam? Magna enim vere rei altissimæ demissione, a summis cœlorum ad homines usque deportata planta Virginitatis est; et propterea prioribus non est ætatibus revelata. Nondum quippe numerosum erat genus humanum: et oportebat ipsum augeri prius numero ac perfici. Quare ne proprias quidem sorores antiqui quum uxores ducerent, quidquam sibi videbantur exprobrabile facere: donec Lex veniens discrimen attulit, et quod honestum videbatur, prohibens, peccatum deinceps id fore declaravit: maledictum vocans eum qui turpitudinem sororis suæ revelaverit [2]; Deo certis temporum vicibus nostro generi congruens studiose auxilium admovente, ut et patres videlicet filiis faciunt [2]. Non enim a primis statim annis pædagogos eis imponunt: sed concesso ætati primulæ spatio quodam libere lasciviendi more vitulorum, eos, linguas primum in verba solventes, ad magistrum mittunt, donec infantili velut quadam mentis lanugine deposita, ad majorum eos disciplinarum exercitationem transferant, illinc rursus ad studia adhuc sublimiora promovendos. Consimili modo Deum et Patrem omnium reputandum sese cum majoribus

[1] 1 Cor. VII, 34. — [2] Lev. XVIII, 9; XX, 17.

gessisse illic nostris. Tum si quidem mundus hominum nondum frequentia refertus, velut infans erat : et eum oportebat prius in multitudinem, ac quasi virilem statum, indulto usu primæ istius licentiæ, succrescere. Verum ubi jam usque ad ultimos utrinque terminos coloniis frequentatus est, sobole hominum in immensum usquequaque fusa, non amplius iisdem, ut prius, uti moribus permisit hominem Deus; id agens ut sensim quibusdam gradibus assurgentes, cœlo sese vicinius admoverent : quoad in celsissimum provecti Virginitatis apicem, perficerentur, a sororiis conjugiis ad alienarum simul multarum nuptias traducti; deinde, ut ne multis ritu quadrupedum, tanquam si essent ad generandi usum nati, uterentur; inde, ut adulteri non essent; atque hinc rursus ad castitatem, et hinc postremo ad Virginitatem progressi : ubi se in carnis contemptu exercentes, in portum velut quemdam apricum et tutum incorruptionis appellunt. Ne vero quis hanc orationem ut Scripturarum testimoniis destitutam cavillari audeat, age producamus Prophetarum locos, quibus vero veriora esse demonstremus ea quæ diximus. Abraham primus accepto circumcisionis fœdere, nihil innuisse aliud videtur, virile carnis suæ membrum circumcidens, nisi hoc : non fore deinceps carnis consanguineæ consortio ad generandum uti, a propria quemque sorore, velut a carne sua docens congressum abstinere nuptialem. Itaque ab Abrahami ætate videmus abolitam consuetudinem sororum fratribus connubio copulandarum. Multas autem simul ab uno haberi uxores a propheticis temporibus licere desiit; illis videlicet legibus proscriptum. « Post concupiscentias tuas ne eas, et ab appe» titibus tuis prohibe te. Vinum enim et mulieres apostatare » faciunt sapientes[1]. » Et alio loco. « Fons aquæ tuæ sit tibi » dulcis, et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ[2] : » repu-

[1] Eccli. XVIII, 30; XIX, 2. — [2] Prov. V, 18.

diata scilicet plurium uxorum licentia. Jeremias vero « equos » amatores et emissarios[1] » manifeste vocat, qui diversarum se mulierum in amores effundunt; de quo et alibi : « Mul- » tigena impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitu- » lamina non dabunt radices altas[2]. » Sed ne prolixi simus propheticis colligendis vocibus; age, astruamus rursum quomodo successerit legitimo etiam usui singularis cum una conjugii voluntaria castitas : donec omnino represserit ortum ex consuetudine impetum naturæ in libidinem ruentis, carnis voluptates ad breve tempus subtrahens. Nempe id profitetur aliquis manifeste deprecans eam avocationem animi, quæ a licito quoque connubii congressu inseparabilis est; « Domine, dicens, Pater et Deus vitæ » meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. Extollentiam » oculorum amove a me. Cordis concupiscentia et concubi- » tus ne apprehendant me[3]. » In libro vero Sapientiæ, palam jam et sine ambagibus auditores ad continentiam et castitatem attrahens Spiritus sanctus, talia modulatur : « Melior » est liberorum orbitas cum virtute, *clamans;* immortalitas » enim est in memoria illius : quoniam et apud Deum nota » est et apud homines. Cum præsens est, honorant illam, » et desiderant eam cum se abduxerit, et in perpetuum co- » ronata triumphat, incoinquinatorum certaminum agone » superato. » De humana quidem vita, quomodo a conjugiis sororum usque ad continentiam sensim per ætatum gradus profecerit, dictum est : de Virginitate dicendum restat. Hoc igitur quantum possumus agamus : et disquiramus primum, quid causæ fuerit, cur cum multi Prophetæ et justi multa et præclara docuerint et fecerint, Virginitatem qui vel laudaret vel eligeret, nemo repertus sit? soli nempe Domino doctrinæ hujus promulgatio servabatur; quippe qui primus adveniens, hominem docuit ad Deum accedere.

[1] Jerem. v, 8. — [2] Sap. IV, 3. — [3] Eccl. XXIII, 1, 5, 6.

Decebat enim principem Sacerdotum, principem Prophetarum, principem Angelorum, eumdem quoque nuncupari principem Virginum. Antiquitus porro nondum perfectus homo erat. Et propterea Virginitatem, rem utique perfectam, capere nondum poterat. Adhuc enim, ad imaginem Dei formatus, ad ejusdem quoque similitudinem reformari opus habebat; quod ut perficeret missum Verbum in mundum, nostram formam prius multis peccatorum stigmatibus deformatam suscepit, ut nos, scilicet propter quos eam ipse tulit, divinæ rursus compotes esse possemus. Ad Dei enim exacte similitudinem effingi hoc demum est, characteres ac lineamenta in vitæ humanæ consuetudinem imitando transferre, pari arte qua periti pictores objecti oculis exemplaris ductus et colores in paratis tabulis ad vivum exprimunt : quod assequemur, ostensam a Verbo, et ejus disciplina traditam insistentes viam. Eo quippe consilio elegit humanam carnem, Deus ipse cum esset, induere, ut velut in tabula divinum exemplar vitæ propositum intuentes, pictoris in exprimendo fidelitatem imitaremur. Non enim alia sentiens, alia faciebat : neque alia bona existimans, alia docebat : sed quæ vere utilia et bona erant, ea et docebat et faciebat ipse. Quid igitur Dominus, veritas, lux, in mundum adveniens negotiatus est ? Nimirum factus homo, incorruptam in Virginitate carnem servavit : Et nos utique si ad Dei imaginem esse volumus, Christi contendamus Virginitatem honorare; similitudo siquidem cum Deo, corruptionis fuga est. Enimvero, principem Virginem, non minus quam principem Pastorem, et principem Prophetam Ecclesiæ, sese in carne humana exhibuisse Dei Verbum, ipse Christi Spiritu instinctus nobis insinuat in libro Apocalypsis Joannes, dicens : « Et vidi, et ecce agnus » stans supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta » quatuor millia, habentes nomen ejus et nomen Patris ejus

» scriptum in frontibus suis; et audivi vocem e cœlo tam-
» quam vocem aquarum multarum, et tamquam vocem to-
» nitrui magni; et vox quam audivi, sicut vox citharœdo-
» rum citharizantium in citharis suis; et cantabant quasi can-
» ticum novum in conspectu troni, et quatuor animalium et
» seniorum, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa cen-
» tum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi
» sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines
» enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit[1]. » En ut chori Virginum principem ostendit Dominum. Animadverte deinde quam vere maxima sit Virginitatis dignitas apud Deum: « Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et
» Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium:
» sine macula enim sunt, et sequuntur, *inquit*, Agnum
» quocumque ierit. » Clare nos et hinc docere vult, numero tantulo (nimirum centum quadraginta quatuor millium) definitam a principio fuisse multitudinem Virginum: Sanctis aliis in multitudinem infinitam multiplicatis. Quid enim de aliis pergens insinuet, considerandum. « Et vidi ex
» omni lingua, et tribu, et ex omni gente, multitudinem
» ingentem, quam dinumerare nemo poterat[2]. » Constat igitur, ut dixi, eam aliorum quidem Sanctorum multitudinem innumerabilem inducere, Virginum vero exiguissimum numerum, si ejus cum innumera aliorum multitudine ratio habeatur. Hæc mea, o Arete, de Virginitate, inquit, oratio est, in qua si quid omisi, suppleat illud, quæ me excipiet, Theophila.

[1] Apoc. XIV. — [2] Id. VII, 9.

THEOPHILA.

ORATIO SECUNDA.

Dixisse igitur referebat Theophilam : Videtur mihi necessarium, quoniam Marcella quam bene incœperat orationem, non sufficienter explevit, conari me idoneam ei clausulam imponere. Etenim ad Virginitatem profecisse hominem, Deo illum certis temporum vicibus et gradibus promovente, præclare mihi disputatum apparet; quod autem intulit, non esse deinceps operam ab ullo generationi dandam, haud probare possum. Manifeste siquidem et Scripturis intelligere mihi videor, noluisse Dei Verbum, postquam Virginitatem mundo intulit, omnino abrogare conjugium. Non enim quoniam sideribus luna major est, continuo stellarum reliquarum lumen extinguitur. Incipiamus autem a Genesi, ut antiquissimæ Scripturæ suum ordinis primatum assignemus. Profecto Dei oraculum et præceptum illud propagandi generis[1], etiam hodie viget et servatur : utique Deo his etiam temporibus nascentes homines contendente[1]. Hoc enim plane manifestum est, Deum nunc cum maxime [orbem] suam picturam expingere, nec manum de tabula detraxisse, sicut Dominus Jesus docuit : « Pater meus usquemodo operatur[2], » dicens. Verum ubi flumina cursum suum absolverint, seque maris vasto alveo reddiderint; ubi lumen perfecte separatum a tenebris fuerit (nunc enim adhuc in ista separatione laborantur), ubi fructus suos cum reptilibus et quadrupedibus edere deinceps

[1] Genes I, 27. — [2] Joan. V, 17.

arida desinet, et expletus erit præfinitus hominum numerus : tunc sane a generando abstinendum erit. Interim porro in Dei imaginem suam hominem operam conferre necesse est, adhuc in manu Opificis stante mundo, et ejus architectura novis quotidie surgente molibus usque ad descriptum delineatæ olim, necdum in opere redditæ ideæ modum. Quare etiamnum præcipit : « Crescite et multiplicamini[1]. » Nec fas est præceptum abominari Creatoris, ex quo et ipsæ existimus. Principium enim generationis omnium hominum seminis in genitale arvum dejectio est, ut os ex ossibus, et ex carne caro, arcana vi desumpta, rursus in alterum hominem ab eodem artifice agente condantur. Sic enim impleri putandum est eam sententiam : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea[2]. » Id enim, credo, innuebat illa homini primo per somnum injecta extasis, præfigurans ex amore mulcedinem viri, quando libidine correptus coeundi, extra se velut prosilit, genitalibus effeminatus per concubitum deliciis, ut rursum ab ossibus ejus et carne decerptus delibatusque alius, ut dixi, existat homo. Turbata siquidem harmonia corporum titillationibus coitus, ut nos docent qui nuptiale opus experti sunt, medullosa quæque ac prolifica pars sanguinis (quod os quoddam liquidum est) ex cunctis coacta membris, spumoso coagulo concrescens, per naturales meatus in vivam fœminæ humum expluitur. Merito propter hoc derelicturus dictus est homo patrem et matrem, vi magna videlicet abreptus aliorsum, ac plane cunctorum oblitus, dum conjugalibus mulieri agglutinatus complexibus, totus in potestate concupiscentiæ genitalis est : sic tollendam costam divino præbens artifici, ut in filio rursus idem pater appareat. Quamobrem creante etiamnum quotidie per nuptialem congressum hominem Deo, quomodo non teme-

[1] Genes. I, 28. — [2] Id. II, 23.

rarium fuerit abominari generationem, cui suas immaculatas immiscere manus indignum Omnipotens Creator haud duxerit? « Priusquam enim, *inquit*, te formarem in » utero, novi te[1], » Jeremiam alloquens. Jobo vero ait : « Numquid tu accepto limo effinxisti animal, et vocale il- » lud fecisti super terram[2]? » Jobus autem contra Deo supplex accidit humiliter dicens : « Manus tuæ fecerunt me, et » plasmaverunt me[3]? » Quomodo vero non absurdum fuerit prohibere congressus nuptiales, cum expectentur etiam post nos futuri Martyres, et viri sancti robore invicto mentis obstituri Antichristo, ob quos etiam dies illos breviandos esse Verbum ipsum pollicetur[4]? Quod si malum, ut aiebas, ex hoc tempore apud Deum est, liberis operam dare, quo pacto illi quos futuros Christus prædixit, Martyres et Sancti contra Dei placitum et voluntatem nati, usque adeo ei cari acceptique esse poterunt? Prorsus enim plagiaria nescio qua suppositum arte ac manu, non divina creatrice omnium productum opera istud quodcumque fateri necesse est, quod præter mentem et contra præscriptum conditricis universorum potentiæ creatum extiterit : nisi forte creandi homines facultatem hominibus tribuamus. — Hic Marcella interpellans : Gravis error, o Theophila, in oratione, inquit, apparet tua, qui eam secum ipsa committit, contraria prius a te dictis astruens : et putas latuisse tanta offusa nube. Occurrit tamen ille tibi ex adverso sermo, quo te aliquis ut sapientissimam adiens interrogare isto pacto possit. De iis qui ex adulterio illegitime generantur, heus tu quid ais? Concessisti enim nulla posse ratione fieri, ut veniat in mundum aliquis, non manuducente voluntate divinæ majestatis; imo non ipsa Dei per se agentis vi præparato corpusculo ejus qui nascitur. Et ne confugias

[1] Jerem. I, 5. — [2] Job. XVIII, 14. (edit. Septuag.) — [3] Id. X, 8. — [4] Marc. XIII, 20.

velut in arcem securam, prolato testimonio Scripturæ dicentis : « Filii adulterorum in inconsummatione erunt[1]. » Summovebit te leniter addens : Tamen videmus illegitimis conceptos copulis maturescere in partus vitales et vegetos, valentesque adolescere. Si autem argute distinguens, dicas : Ego vero, heus tu, inconsummationem de justitiæ christianæ perfectione accipio, ad quam videlicet non evehantur inconcessis geniti congressibus, reponet statim. Atqui, o bona, multi editi, furtivis istiusmodi partubus, nihilo secius, non solum gregi Fidelium aggregati sunt, et inter fratres numerati : sed et præesse ipsis rite jussi non raro sunt. Quare cum communi omnium sensu et experientia notissimum sit, ortos ex adulterio, tum natura, tum gratia consummari : non est putandum de inconsummatione adulterinorum conceptuum et partuum propheticum istud sancti Spiritus dictum intelligendum, sed forte potius de adulterantibus veritatem, qui sophisticis corrumpentes dogmatibus Scripturas, inconsummatam generant Sapientiam, religioni commiscentes errorem. Itaque hoc quoque tibi effugio præcluso, i modo, et ex adulterio quoque conceptos fœtus, bene volente responde generari Deo. Dixisti enim fieri non posse, ut ad maturitatem et consummationem perveniat humanus fœtus, nisi formante ipsum, et animante Domino. — Hic Theophila velut robustis lacertis adversarii media correpta, vertigine tentata quadam est, tum ægre tandem spiritu resumpto, Rem, inquit, o bona, quæris ad sui plenam declarationem exemplo quodam indigentem, cujus beneficio melius intelligas Dei creatricem vim per omnia quidem pertingentem, præcipue tamen ipsam a se hominum operari generationem, augendo quæ in genitalem seminata terram sunt. Neque enim quod seminatur culpandum est : omnis in eo culpa residet, qui in alienum

[1] Sap. III, 16.

agrum, furtivis cubilibus, veluti mercede brevis voluptatis propriam impudenter sementem vendit. Informa enim, quæso, talem quandam imaginem nostræ in vitam generationis. Cogita domum superne tantum patulam, et in verticibus circumpositorum montium varios omni ex parte exitus habentem : sit porro ea in multam et inferne capacem demissa profunditatem ; solis per altorum capita collium in circuitu dispositis foraminibus pervia. — Informo, inquit Marcella, quam jubes imaginem. — Jam imaginare sedentem intus operari plasten statuas plurimas, ex limo suggesto ei, per ea, quæ dixi, foramina, multorum assiduo conjestu hominum, nemine ipsum vidente artificem. Da enim occultari domum caligine ac nebulis : et nihil istis materiæ ministris exterius apparere, nisi foramina sola. Detur, inquit, et hoc. Habere autem unumquemque collaborantium in luti comportationem assignatum sibi foramen unum, per quod solum oportet ipsum propriam materiam deponere, nulla ratione tangendo aliud quodcumque : proposita etiam pœna ignis et verberum, ei qui curiose aperire ostium alteri assignatum tentaverit. Tum jam mihi deinde considera figulum interius circumeuntem foramina, et quamcumque sub unoquoque materiam repererit fingentem, ac certis mensium periodis efformatam statuam rursus per idem foramen emittentem : quippe cui hæc posita lex sit, ut sine ullo discrimine quamcumque aptam operi oblatam sibi argillam fingat ac figuret, etiamsi perverse per alienum a quopiam demissa foramen fuerit. Nihil enim peccasse materiam ; ac propterea tanquam innoxiam fingi eam, quatenus capax, et efformari oportere. Eum vero qui contra interdictum in alienum ipsam foramen deposuit, ut sceleratum et transgressorem merito pœna mulctandum esse. Non enim argilla culpanda est, sed is qui eam furtiva grassatione, vel injusta vi petulanter injecit qua fas non erat. — Verissima

loqueris. — Ergo his hactenus ita præparatis, restat ut tu pro tua præstanti sapientia similitudinem inrem conferas, et domum quidem illam esse intelligas arcanam generationis nostræ naturam : aditum autem adjacentem montibus, descensum et demissionem animarum e cœlis in copora : foramina vero, femininum ac muliebrem sexum : plasten quoque, creatricem potentiam Dei, quæ pro velo utens ipsa generationis nostræ natura, intus nobis invisibiliter humanam formam fingendo inducit, animarum indumenta concinnans. Comportatores denique materiæ fingendo aptæ, mares ac viros exprimere cogitandi sunt, quando ei libidine correpti, in naturales fœminæ meatus semen injiciunt, ut illic argillam in foramina : semini enim divinæ creatricis potentiæ participatione, ut sic dicam, asperso quadam, nequaquam imputandi exæstuantes impuræ libidinis ardores. Ars porro in subjecta sibi materia, quod suum est agit. Nullam vero rem ex se ac per seipsam malam esse, putandum est, sed talem fieri per operationem abutentium ea ; honeste videlicet et caste exercita, honesta evadit : turpiter vero et indecenter administrata, turpis fit. In quo enim male meruit ferrum propter agriculturam et artes inventum, de iis qui ad mutuas illud cædes et inhumana procudunt prælia ? In quo aurum, aut argentum, aut æs, et ut verbo colligam, omnis in metalla vel gemmas excocta et elaborata terra, utentibus iis ingrate adversus suum Creatorem, dum in statuas varie distinctas ac efformatas hæc adoranda proponunt ? Certe si quis furto quæsita vellera textrinæ præbuerit, illa innocenter unum ad scopum intuens ars in opus mittet, nihil rejiciens eorum quæ ad sibi usum apta objecta sint. Nam lana inanimis, innocens utique est furti, quo est subtracta ; quare illam quidem elaborare et concinnare nihil prohibet. Qui vero mala eam manu, injustaque vi abstulit, pœnæ subjiciatur. Sic cor-

ruptores nuptiarum, qui vitæ harmoniam, velut citharæ, rumpendis temere cordis exurdant : effrenes inflammatæ cupiditatis æstus in adulteria laxantes, ipsi quidem cruciandi puniendique sunt; nocent enim injuste ac graviter, ex alienis hortis inconcessos concubitus furando : semen vero ipsum, uti et illic vellera, formandum et animandum est. Et quid opus est tot exemplis utendo producere sermonem, cum satis pateat Dei profecto esse opus structuram corporum? Nunquam enim sic exiguo tempore tantum citra divinam cooperationem perficeret opus natura. Quis enim ossium compegit incompactam substantiam? Quis colligavit ut extenderentur nervis, et remitterentur ad juncturas artuum sese membra flectentia? Quis cuniculas sanguini, mollemque spiritui arteriam præparavit? Aut quis alius pinsuit chymum macerans sanguine, et mollem ex limo pulpam; nisi profecto unus summus artifex, rationalem vivamque [nos homines] sui effigiem architectatus in utero ex humido exiguoque est semine, fingens et, velut ceram, manuducens ad designatæ expressionem formæ? Cujus enim alterius providentia fit, ne suffocetur tum humido, tum vasculorum angustiis, intus innatans embryon; aut quis alius a partu jam editum in lucem fœtum, ex illa brevitate et teneritudine natali, in molem, formam, robur idoneum promovet; nisi unus ille supremus, ut dixi, Artifex creatrice vi, Christo transfigurans, et novis subinde quasi coloribus ac ductibus ad vivum expingens ideas? Unde et tutelaribus Angelis etiam adulterio conceptas proles commendari accepimus a divino Spiritu dictatis libris. Si enim contra mentem et definitam voluntatem existerent beatæ illius naturæ Dei : quomodo Angelis traderentur, blande indulgenterque educandæ? Quomodo etiam suos ipsarum genitores accusaturæ libere ad Christi tribunal citarent? Tu quidem, inquientes, non invidisti nobis, Domine, com-

mune hoc lumen : hi autem nos in mortem exposuerunt, contempto mandato tuo. « Ex iniquis enim, *inquit*, somnis »filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes »in interrogatione persuasibilium sermonum[1]. » Et adhuc locum habebit aliquis probabiliter disputandi apud imperitos et imprudentes, tunicam hanc animæ carneam, ab hominibus satam, sponte sua formari contra interdictum Dei: qui tamen etiam immortalem animæ substantiam simul cum mortali seminari corpore doceat, nullam fidem merebitur? Quod enim mortis et senectutis expers est, solus utique Omnipotens inspirat nobis, unus invisibilium et incorruptibilium Creator. « Inspiravit *enim*, *inquit*, in faciem »ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam vi»ventem[2]. » Denique operarios illos increpans Divinum verbum, qui ad hominum perniciem humanæ formæ simulacra concinnant, non sententia proprium factorem, in libro Sapientiæ ait : « Cinis est cor eorum, et terra supervacua spes illorum, et luto vilior vita eorum : quoniam »ignorarunt qui se finxit, et qui inspiravit illis animam »quæ operatur, et qui insufflavit eis spiritum vitalem[3]. » Hic omnium hominum creator est, Deus : unde et omnes homines, juxta Apostolum, salvos fieri vult, et in agnitionem veritatis venire[4]. Et quoniam hoc vix tandem aliquando caput expedivimus, quæ supersunt deinceps dicenda sunt. Ubi enim quis acri consideratione perdidicerit quæ homini secundum naturam contingunt, sciet non abominari quidem conjugium, laudare autem et præferre castitatem : quando non quoniam cæteris dulcius suaviusque mel est, continuo reliqua convenit amara reputare, quæcumque in fructibus jucundi saporis partem aliquam a natura sunt sortita. Et horum quidem ideonum testem producemus Paulum, cujus illa sunt : « Qui matrimonio jungit

[1] Sap. IV, 6. — [2] Genes. II, 7. — [3] Sap. XV, 10. — [4] 1 Tim. II, 4.

» virginem suam, bene facit : et qui non jungit, melius fa-» cit [1]. » Non enim scilicet melioris et dulcioris appositione aliud omnino tollit, et ut malum prohibet doctrina sancta ; sed unicuique quod proprium et utile singulis est tribuens, dum decernit. Sunt quibus nondum concessit potiri virginitate : sunt quos non amplius titillationibus erubescentes inquinati sint ; sed meditari jam hinc et deinceps exprimere angelicæ puritatis æmulam transformationem corporum, ubi non nubunt, neque nubuntur, juxta verax Domini oraculum [2]. Quandoquidem non omnibus incontaminatus ille, et regni cœlorum præbitor eunuchismus concreditur : sed solis illis videlicet, qui possunt semper virentem et immaculatum virginitatis florem tueri. Florentissimo enim et maxime variegato prato comparari sermo habet propheticus Ecclesiam, non modo virginitatis distinctam et coronatam floribus, sed et conjugii ac continentiæ. In fimbriis siquidem aureis variegata astat Regina a dexteris sponsi [3]. Hæc tibi pro viribus, et ego meis, o Arete, in susceptum pro veritate sermonem confero. — Quibus a Theophila dictis, lene a cunctis murmur extitisse virginibus Theopatra narrabat, singulis sermonem laudantibus. Ut vero susurrus consedit, post longum silentium assurrexisse Thaliam (ei quippe tertio loco mandatum erat agere post Theophilam). Ea igitur succedens exordio hinc sumpto, sic, opinor, cœpit.

[1] 1 Cor. VII, 38. — [2] Matth. XXII, 30. — [3] Psalm. XLIX, 10.

THALIA.

ORATIO TERTIA.

Mihi videris, o Theophila, et operatione et sermone super omnes excellere, nec cuiquam sapientia cedere. Non enim est qui reprehendere possit orationem tuam, vel si contentiosus et pervicax sit. Unum tamen in ea me, aliis præclare dictis, subconturbat reputantem, et quasi scrupulo injecto inquietat; metuere me cogens, ne divino spiritu plenissimus et utique sapiens vir (Paulum dico) sine causa retulerit ad Christum et Ecclesiam conjunctionem primi hominis et mulieris, si nihil sublimius ipsa littera ipsaque historia Scriptor sacer cogitavit [1]. Si enim omnino de viri ac mulieris congressu mero interpretari Scripturam necesse est, cur Apostolus eum citans locum, et in veram, ut opinor, divini Spiritus sententiam manuducens nos, ad Christum et Ecclesiam allegorice transfert, quæ de Adamo et Eva memorantur? Locus Geneseos sic habet : « Et dixit Adam : Hoc nunc os ex »ossibus meis, et caro de carne mea, ipsa vocabitur Vi»rago, quoniam de viro sumpta est. Propter hoc relinquet »homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori »suæ, et erunt duo in carne una [2]. » Apostolus autem eam considerans sententiam, nequaquam illam prout jacet juxta sensum, ut dixi, ac sonum litteræ, de viri ac fœminæ copula vult accipi, quemadmodum tu facis : naturali modo atque usu de conceptibus solum ac partubus scripturam istam interpretans. Sic enim posuisti : ut os ex ossibus homo alter

[1] Ephes. v, 32. — [2] Genes. II, 23.

sumptus gigneretur, coïre viva corpora, distendique ac tumere, arborum instar cum prægnant. Paulus autem spiritaliter ad Christum hæc referens, hunc nos in modum edocet. « Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim un- » quam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, » sicut et Christus Ecclesiam : quia membra sumus corporis » ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, » et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacra- » mentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in » Ecclesia [1]. » Ne moveat vero quod aliis de rebus instituto sermone in alia transilit : ut permiscere cuncta videatur, nec vereri sese sui dissimilem ostendere, qui desultorie a proposito deficiens, non cohærentia dictis subtexat, uti et nunc. Nam de castitate volens, ut apparet, sedulo confirmare doctrinam, insinuat se prius, et molles quasi aditus ad eum scopum captat, leniori ac plausibiliori utens ingressu sermonis. Character hic est dictionis ejus maxime varius, et ad augendum attollendumque gradatim factus : quippe a superficiariis inchoans, mox se in altiora magnificaque diffundens : tum rursus in profunditatem se demittens : interdum in simplex aliquid ac facile, interdum in difficilius subtiliusque desiturus; nunquam tamen per istas alternationes alienam a scopo subinducens quidquam : quæcumque enim scriptione sic varia, et quasi reciprocante, comprehendit, mirabili sese nexu attinent, et arcanis commissa juncturis, æque cuncta ad propositæ tractationis absolvendum negotium simul conferunt. Oportet igitur me accuratius revelare arcanum sensum profundarum Apostoli sententiarum, nihil eorum rejiciendo quæ prius dicta sunt. Bene quippe in eis, imo præclare versata mihi videris, o Theophila, caute illud secureque providens, ut verba Scripturæ intelligantur, prout sonant juxta nativum sensum; periculo siquidem non vacat

[1] Ephes. v, 29.

spernere semper ac transilire velle obviam et primo aspectu pulsantem animum sententiam Scripturæ, præsertim in Genesi, ubi oracula immutabilia feruntur Dei, constitutionem mundi sancientia : quibus aptatus usque in hunc diem suis sensim partibus in istam universi perfectionem adolevit, perstituram eo usque quoad ipse rursus qui eum concinnavit, legislator, reformare opus suum volens, alio præcepto primas antiquaverit naturæ leges. Sed quoniam non decet inexploratam, ac velut dimidia sui parte claudicantem explicationem doctrinæ relinquere ; age anagogicum quoque litterali sensum, velut alterum bigæ animal reddamus, profundius hanc Scripturam speculando. Non enim is est qui contemni possit Paulus, quem modo vidimus transcenso hujus dicti vulgari sensu, ad Christi illud mysterium Ecclesiæque traduxisse. Atque hic primum disquirendum, An Adam comparari possit Filio Dei; ille, inquam, Adam in lapsu prævaricationis deprehensus, quique audivit : « Terra » es, et in terram reverteris [1]. » Quomodo vero idem etiam primogenitus omnis creaturæ reperietur, qui post terram et firmamentum e luto formatus est [2] ? Rursus qua ratione, lignum vitæ ipsum esse concedetur, qui ejicitur propter prævaricationem [3], ne rursus extendat manum, ac comedat ex ipso, et vivat in æternum [4] ? Quod enim comparatur alteri, tanquam ei simile, ejus utique referre lineamenta et colores debet : non autem contrario plane modo se habere, et quasi ex oppositis constare. Nemo enim qui impar pari, et harmoniam incompositæ confusioni comparare audeat, sapiens habetur. Sed par ei rei, quæ item natura par sit, recte comparabitur, etiamsi non ex toto, et ad æqualitatem paritas constet; sic album albo, etiam si minus multo album sit, tamen habens, unde vere album dicatur, fundamentum comparationis habet. Jam par, et harmonicum, et candi-

[1] Genes. III, 19. — [2] Coloss. I, 15. — [3] Apoc. III, 18. — [4] Genes. III, 22.

dum recte dici quod peccati expers est, et corruptionis, in confesso apud sapientes est : uti et merito impari, inharmonicoque, id quod est morti ac peccato affine, ac propter damnationem ejectum, pœnaque multatum, simile censeri. Hæc fere arbitror esse, quæ objectantur a multis, qui nolunt primum hominem ad Christum referri, despicientes, ut apparet, prudentiam Pauli. Age vero et nos consideremus, quam orthodoxe retulerit Adamum ad Christum, non solum quod Christi figuram et imaginem Adamum fuisse censuerit, sed et quod vere Christum extitisse, ipsum quoque putaverit, propterea quod Verbum, ante sæcula existens, in illum venerit, eique se junxerit (1). Congruum enim fuit Primogenitum Dei, et primum unigenumque semen, sapientiam, primum formato, principi et primogenito hominum homini mixtam, factam esse hominem. Hoc enim esse Christum, hominem mera divinitate et perfecta plenum, et Deum in homine quodammodo inclusum. Erat enim decentissimum, antiquissimum Æonum, et primum Archangelorum versari cum hominibus volentem, in antiquissimum et primum hominum insinuari Adamum, in eoque habitare. Eo scilicet modo recolorans, et refingens priora, rursus ex Virgine ac Spiritu fabricatus ipsum; quandoquidem similiter a principio, cum terra virgo adhuc et inarata esset, accepto Deus luto, rationale ex ipso formavit animal sine semine. Adsit mihi hujus rei testis idoneus et disertus, Propheta Jeremias : « Et descendi, *dicens*, in domum » figuli, et ecce ipse faciebat opus super lapides; et cadendo » dissipatum est vas, quod ipse faciebat in manibus suis; et » rursus fecit illud vas alterum, sicut placuerat in conspectu » suo facere[1]. » Adhuc scilicet dum ex luto formaretur, ut sic dicamus, Adam, cum mollis et aquosus, nec dum incoctus, tegulæ ritu, immortalitate duratus esset, a peccato

[1] Jerem. XVIII, 3.

aquæ instar distillante ac defluente dissolutus est. Quare rursus eum ab integro madefaciens et refingens in honorem Deus, in virginali durans primum et compingens utero simulque uniens et miscens Verbo, solidum et sincerum eduxit in vitam : ne rursum extrinsecus inundatus corruptionis fluctibus, putredine innascente corrueret. Uti et in parabola de inventione ovis, videtur docuisse Dominus, ubi ait ad astantes : « Quis est ex vobis homo, qui habet cen» tum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit » nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perie» rat, donec inveniat eam ? et cum invenerit eam, imponit » in humeros, gaudens, et veniens domum, convocat ami» cos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia in» veni ovem meam quæ perierat[1]. » Quoniam enim ipse verissime erat, et est, in principio existens apud Deum, et Deus existens, imperator et pastor cœlestium, cui omnia obtemperant, et obsequuntur ratione prædita, ordinatissime regens, et numerans multitudines beatorum Angelorum. Hic enim est ille par et perfectus numerus immortalium animantium, in genera et species distinctus, aggregato hic tali gregi etiam homine : creatus quippe ipse quoque est sine corruptione, ut Regem universorum, et Creatorem laudet celebretque, altero velut choro respondens vocibus Angelorum e cœlo resonantibus. Verum quia contigit eum, violato Dei mandato, gravi et pernicioso lapsu corruere, resolutum in mortem : propterea dicit Dominus seipsum in mundum e cœlis venisse, relictis ordinibus et exercitibus Angelorum. Montes enim cœlos designare putandum est : per oves vero nonaginta novem, virtutes, principatus et potestates, quas reliquit, descendens ad quærendum quod perierat, imperator et pastor. Consequens enim fuit hominem isti catalogo et numero accenseri, quem portasset et induis-

[1] Luc. xv, 4. Joan. x, 1.

set Dominus : ne rursus, ut dixi, tempestatibus et fraudibus circumventus demergeretur. Eo namque consilio susceptus homo a Verbo est, ut per ipsum dilueret exitiosam ipsi maledictionem, vincens serpentem. Consentaneum quippe fuit, non ab alio vinci diabolum, quam ab illo ipso, quem gloriabatur a se deceptum tyrannidi se suæ subjugasse Neque vero aliter peccatum aboleri et damnationem possibile erat, nisi rursus ipse ille homo, in quem dictum erat, « Terra es, et in terram ibis [1], » reformatus antiquasset illam sententiam, per ipsum in omnes pertinentem; ut sicut in Adam prius omnes moriebantur, sic rursus in assumente Adamum Christo, omnes vivificarentur [2]. Hactenus satis exposuisse mihi videor, quemadmodum homo instrumentum factus, et indumentum Unigeniti, idem effecerit quod ipse, qui in ipso habitavit. Quod autem neque imparitas ipse sit, neque inconcinnitas, rursus a capite breviter est considerandum. Etenim propria natura bonum, et propria natura justum ac sanctum, cujus participatione alia fiunt bona, Sapientiam esse post Deum qui dixerit, rectissime loquetur : contra vero pravum et injustum, et malum, peccatum esse. Duo siquidem summe invicem opposita, vita et mors, incorruptibilitas et corruptio. Paritas enim est vita, imparitas vero corruptio, et harmonia quidem justitia et prudentia; confusio vero, imprudentia et injustitia. Homo autem inter hæc medius, neque per se justitia est, neque injustitia, sed in medio constitutus incorruptibilitatis et corruptionis, ad utrumvis horum propendens deflexerit, in ejus a quo victus sit transferri naturam dicitur; declinans enim in corruptionem, corruptibilis fit et mortalis : vergens autem ad incorruptibilitatem, incorruptibilis et immortalis. In confiniis quippe situs arborit vitæ, et arboris scientiæ boni et mali, ex utrius gustaveris

[1] Genes. III, 19. — [2] 1 Cor. XV, 22.

fructibus, in ejus formam commutatur, neque per se vitæ arbor existens, neque rursum corruptionis : sed participatione quidem et præsentia corruptionis, mortalis ostensus, adjunctione vero et complexu vitæ, incorruptibilis et immortalis : sicuti et Paulus docuit, dicens : « Non enim cor» ruptio hæreditabit incorruptionem, neque mors vitam [1] : » corruptionem quidem et mortem illud quod corrumpit et occidit merito vocans; non autem id quod corrumpitur aut moritur : uti et incorruptionem et vitam, ipsum quod immortalem facit et quod vivificat; non autem id quod immortale fit, et quod vivificatur. Quare neque confusio, neque imparitas homo per se est, neque item paritas et concinnitas : verum ubi quidem acceperit confusionem, hoc est, prævaricationem et peccatum, fit inconcinnus et indecens : ubi vero harmoniam, sive concinnitatem, hoc est justitiam, fit concinnum instrumentum et decens : ut Dominus, ipsa incorruptio victrix mortis, consone resurrectionem canat carni, non passus eam possideri rursus a corruptione. De hoc quoque capite satis hactenus dictum esto. Præstruximus enim non levibus Scripturarum argumentis, quomodo primus homo recte ad ipsum referri Christum potuerit, non solum typus, et effigies, et imago Unigeniti existens, sed factus ipsa sapientia et Verbum : instar enim aquæ commixtus homo sapientiæ et vitæ, hoc factus est, quod erat illa ipsa, quæ in eum advenit purissima lux : unde Apostolus recte ad Christum direxit, quæ de Adamo dicuntur. Sic enim maxime ex ossibus et ex carne ejus Ecclesiam extitisse conveniet : cujus scilicet gratia, relicto Patre qui est in cœlis, descendit Verbum ut adhæreret uxori, et dormivit exstasim passionis, voluntarie pro ipsa mortuus, ut ipse sibi exhiberet Ecclesiam gloriosam et irreprehensibilem, mundans eam lavacro, ad susceptionem spiritalis et

[1] 1 Cor. xv, 50.

beati seminis, quod seminat quidem ipse insusurrans et penitus inserens in penetralibus mentis[1] : concipit vero et formatinstar uxoris Ecclesia ad generandam enutriendamque virtutem. Isto enim modo illud mandatum, « Crescite et »multiplicamini[2], » convenienter impletur, proficiente in magnitudinem, decorem, et numerum, in dies Ecclesia, ob conjunctionem et communicationem Verbi accommodantis et admoventis se nobis etiam nunc; et rursus quodammodo extasim passionis per suæ mortis commemorationem iterantis. Non enim aliter Ecclesia concipere credentes, et regenerare per lavacrum regenerationis posset, nisi propter hos quoque Christus exinaniens seipsum, ut caperetur per recapitulationem, ut dixi, passionis, rursus moreretur descendens e cœlis, et, adhærens uxori suæ Ecclesiæ, tolli sineret e latere suo vim quandam, ut crescant qui in ipso ædificati sunt omnes, geniti per lavacrum ex ossibus et ex carne, hoc est, qui ex sanctitate ipsius et ex gloria sumpserunt. Ossa enim et carnem Sapientiæ qui dicit esse prudentiam et virtutem, rectissime loquitur : costam autem Spiritum veritatis Paracletum, ex quo sumentes, in incorruptionem regenerantur convenienter, qui illuminati fuerunt. Fieri vero nequit ut Spiritus sancti particeps quisquam fiat, et membrum aggregetur in corpus Christi, nisi prius in ipsum quoque adveniens Verbum, extasim passus fuerit dormiens, ut renovationem, et reformationem, simul exurgens e somno cum eo qui pro se dormivit, Spiritum et ipse reformatus percipere possit. Is enim proprie costa dicatur Verbi, Spiritus veritatis septiformis secundum Prophetam. De quo accipiens Deus post extasim Christi, hoc est post incarnationem et passionem, adjutricem ipsi conjugem præparat, nimirum conjunctas ipsi et desponsatas animas[3]. Sæpius quippe congregationem ipsam et cœtum fidelium Ec-

[1] Ephes. v, 26, 27. — [2] Genes. I, 27. — [3] Isai. XI, I.

clesiam sic nominant Scripturæ : perfectioribus ob profectum in unam personam et unum corpus Ecclesiæ coeuntibus. Nam meliores, quique jam liquidius perceperunt veritatem, purgatione perfecta et fide felicem adepti sterilitatem libidinum carnis ac vitiorum, Ecclesia fiunt et adjutorium Christi, sicut Virgo una[1], ut Apostolus loquitur, ei copulati et desponsati, ut, puro et feraci doctrinæ susceptо semine, cooperentur adjuvantes prædicatione ad reliquorum salutem. Imperfecti vero adhuc, et initiis solum imbui cœpti dogmatum, in salutem parturiuntur et formantur, velut fœtus in utero, a perfectioribus; donec maturo editi partu, regenerentur in magnitudinem et pulchritudinem virtutis : ac vicissim post idoneum et ipsi profectum Ecclesia facti, ad prolis alterius partum educationemque subserviant, uteri vice in vase animæ; voluntatem maturantes inviolatam Verbi. Considerandum hujus ordinis exemplum in celeberrimo Paulo. Cum enim is nondum perfectus in Christo esset, generatur primum et lactatur, evangelizante ipsum et per baptismum renovante Anania, sicut in Actibus historia exhibet[2]. Quando autem factus est vir, et ædificatus jam est in perfectionem spiritus reformatus, et adjutorium effectus est et sponsa Verbi, susceptis et conceptis seminibus vitæ : tunc qui prius fuerat parvulus, Ecclesia fit et mater, parturiens eos et ipse qui per ipsum Domino crediderant : donec in ipsis quoque Christus formatus pareretur. Ait enim : « Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chris» tus in vobis[3]. » Et rursus : « In Christo enim Jesu per Evan» gelium ego vos genui[4]. » Hinc igitur apparet, ad Christum et Ecclesiam referri, quod de Eva et Adamo traditur. Magnum vere mysterium, et usu mundi superius : quod ego propter imbecillitatem et hebetudinem mentis, pro dignitate ejus ac magnitudine edisserere non valeo; tamen id

[1] 1 Cor. xi, 2. — [2] Act. ix, 7. — [3] Galat. iv, 19. — [4] 1 Cor. iv, 15.

facere conandum est. Restat enim ut cætera loci hujus apud vos exequar. Paulus ergo ad sanctificationem et castitatem cunctos provocans, ita ut diximus, quæ de homine primo feruntur et Eva, juxta secundam expositionem ad Christum direxit et Ecclesiam, quo indoctis os obstrueret, pretextum illis et excusationem eripiens omnem : qui lasciviæ dediti, et libidine in ipsis prædominante corrupti deliciis, vim Scripturis inferre non dubitant, contra orthodoxam ipsas interpretantes veritatem : ac tanquam vallum obtendentes defendendæ incontinentiæ; tum id quod dixit Deus : « Crescite et multiplicamini; » tum illud aliud : « Propter » hoc relinquet homo patrem et matrem [1]. » Neque ipsos pudet incusare Spiritum sanctum. Ac tanquam ad hoc nati sint, subsidentem ac quasi sopitum concupiscentiæ fomitem, velut torrem adhuc fumantem, flatu eventilant, et titillationibus redaccendunt. Quare satis acriter dolosa hæc ipsorum et maligna consilia quæsitosque pretextus excutiens : cum processisset ad præscribendum, quatenus et quomodo accedere viros ad mulieres deceat : ac pronuntiasset ita illos id agere debere, ut Christus se conjunxit Ecclesiæ, seipsum pro ea tradens, ut ipsam sanctificaret ac mundaret lavacro aquæ in verbo; recurrit ad Genesim, inducta mentione eorum quæ illic dicuntur de primo homine, accommodans et illa ad sui propositi sententiam, ne ansam præbeat ullam verbis illis sacris abutendi procurantibus voluptates prætextu propagationis humanæ speciei. Considerate enim, o Virgines, ut quam efficacissime volens ad castitatem inducere fideles, per multa ipsis argumenta insinuare conatur præstantiam continentiæ; aliquando quidem : « De qui- » bus vero scripsistis, *dicens*, bonum est homini mulierem » non tangere [2] ; » inde ostendens jam clare, honestum esse non accedere ad mulierem : cum hoc in capite constituat et

[1] Genes. II, 18, 24. — [2] 1 Cor. VII.

absolute proponat. Deinde infirmitatis humanæ conscius, et æstum vehementem reputans, quo intemperantiores in coitum rapiuntur, permittit non valentibus imperare carni, uti uxoribus suis potius, quam turpi lapsu in fornicationes effundi. Denique post illa sic permissa, statim hoc addit : « Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram [1]; » quod est : Si non potestis, heus vos, omnino in castitate vivere propter inolitam corporibus vim libidinis, suadeo potius, et me remitto ad hoc, ut conjugibus potius vestris consuescatis, ne dum profiteri videmini continentiam, tentemini assidue a malo dæmone ad alienarum concupiscentiam mulierum inflammati. Age enim, contextum ipsum diligentius inspiciamus, observemusque non absolute annuisse ista passim omnibus Apostolum : sed proposita prius causa, qua ad id adactus est. Cum dixisset ergo, « bonum esse homini » mulierem non tangere, » statim subjunxit : « propter forni» cationem vero unusquisque suam uxorem habeat [2]. » Hoc est, propter necessitatem fornicationis, nisi sustinetis cohibere voluptatem. « Et unaquæque mulier proprium virum » habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter, et uxor viro. » Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; simili» ter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. » Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, » ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne » tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc » autem dico secundum indulgentiam, non secundum im» perium [3]. » Circumspecte valde appositum et hoc; secundum indulgentiam enim significavit consilium se nunc dedisse, non autem secundum imperium ; nam imperium quidem ibi potius usurpat, ubi continentiam suadet, et tangi mulierem vetat : indulgentiam vero iis impendit, qui nequeunt, uti dixi, coercere concupiscentiam. Ac de iis

[1] 1 Cor. VII, 6. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

quidem, tam viris, quam mulieribus, qui singulari conjugio vel jam devincti sunt, vel deinde conjungentur, ista constituit. De iis vero viris, qui amiserunt jam uxores, aut mulieribus quæ amiserunt viros, deinceps diligenter investiganda est Apostoli sententia, quid de iis definiat. « Dico » autem (*inquit*) non nuptis, et viduis, bonum est illis, si » sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, » nubant; melius est enim nubere, quam uri[1]. » Perseverat hic quoque præferre continentiam; seipsum enim in exemplum offerens, magnum utique stimulum admonet auditoribus, ad imitationem sui tentandam, in re quantumvis ardua; melius esse docens, eum qui alias unius mulieris conjux fuerit, apud se deinceps manere, sicuti et ipse faciebat. Quod si hoc propter æstum et vim concupiscentiæ difficile nimium alicui fuerit, in ea, quam secundo loco ei proponit indulgentia, receptum ei providet, usum conjugii permittens : non quod secundas nuptias absolute ponas et expetendas pronuntiet, sed eas meliores incendio judicat. Sicut enim si quis in die Paschæ et jejunii graviter ægrotanti cuipiam cibum offerat, et jubeat propter infirmitatem gustare ex his quæ offert, dicens : Bonum quidem erat, o amice, et vere oportebat te quoque, sicut et nos, fortiter perseverantem eadem percipere : interdictum est enim hodie, ut scis, ullo cibo vesci, sed quoniam morbo correptus, et multum debilitatus non potes id ferre, propterea indulgentiam impertientes tibi, consulimus, ut his cibis vescaris, ne forte plane non valens propter imbecillitatem morbo contractam resistere cupiditati cibi, moriaris. Sic ait et Apostolus hoc loco; prius enim dixerat cupere se, sanos omnes et castos esse, uti et ipse erat; postea tamen gravatis morbo passionum, ne fornicantes omnino pereant, violenter abrepti libidinis impetu, et titillationibus carnis in congressus incestos

[1] 1 Cor. VII, 8.

et adulteros, permittit secundas nuptias, melius ad eas venire judicans esse, quam uri et inhoneste se gerere. De continentia et nuptiis, de castitate, et re maritali, et in utris eorum utilitas ad justitiæ profectum reperiatur, hactenus a me dictum sit : de virginitate vero restat ut deinceps exponamus, quid Paulus idem sanxerit : hoc igitur agamus; sic autem ille habet. « De virginibus præceptum Domini non » habeo : consilium autem do, tanquam misericordiam con- » secutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bo- » num esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum » est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solu- » tionem : solutus es ab uxore? noli quærere uxorem; si au- » tem acceperis uxorem, non peccasti : et si nupserit virgo, » non peccavit : tribulationem tamen carnis habebunt hujus- » modi, ego autem vobis parco[1]. » Valde caute introducto de virginitate sermone, et consulturus mox dare nuptui suam virginem cui placuerit, ne quidquam eorum quæ ad sanctificationem ducunt per necessitatem fiat et vim, sed ex proposito, liberoque arbitrio animæ; hoc enim acceptum apud Deum : non vult ex sua auctoritate et sententia Domini hæc dicta esse; videlicet ut nuptui virgo tradatur : nimirum, cum dixisset : « Si autem nupserit virgo, non pec- » cavit : » deinde indulgentia prope revocata, remissionem illam suam conturbavit, et pene dubiam reddidit, secundum indulgentiam humanam subindicans ea se consuluisse, non autem secundum divinam : ideo statim postquam dixit : « Si » nupserit virgo, non peccavit : » addidit, « tribulationem ta- » men carnis habebunt hujusmodi : ego autem vobis parco[2] : » id est, ego parcens vobis, o amici, hæc proposui, quandoquidem eum vitæ statum elegistis; ne videar per vim urgere ad hoc vestrum aliquos, et cogere. Quamvis tamen istam vobis conjugii sortem sequi libet, subire non susti-

[1] I Cor. VII, 25. — [2] Ibid. 28.

nentibus continentiæ jugum : conducibile judico, vel sic moderari vos titillationibus carnis, eas intra saltem concessum usum conjugii compescendo, non abutentes, nuptialis licentiæ prætextu, vestris ipsorum vasibus in immunditiam; subinfert igitur : « Hoc itaque dico, Fratres, tempus breve » est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non » habentes sint [1]. » Deinde rursus insistens, et vehementius incitans ad eadem, quæ prius indicavit, orationem magno nisu corroborat ad tanto urgentius inducendam persuasionem virginitatis. Diserte igitur atque expresse, quæ sequuntur prius dictis adaptans, quasi concludendo exclamat : « Volo » vos sine sollicitudine esse; qui sine uxore est, sollicitus est » quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum » uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat » uxori. Innupta cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta cor» pore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt » mundi, quomodo placeat viro [2]. » Omnibus autem sine ulla dubitatione manifestum est, cogitare quæ Domini sunt, et placere Deo, multo esse melius, quam cogitare quæ sunt mundi, et placere uxori. Quis enim tam hebes et cæcus sit, ut statim non sentiat, adhortationem Pauli vehementer ad continentiæ suasionem incumbere. « Porro hoc, *ait*, ad uti» litatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed » ad id quod honestum est [3]. » Adjunge modo dictis, tradi a Paulo, aut satis innui, Dei gratuitum donum esse, propositum, et professionem virginitatis; ideo enim eos, qui obnoxii passionibus carnis, per causam vanæ gloriæ, ad eam se conferunt, aut in ea hærere volunt, rejicit, consulens ipsis nuptias, ne vigore juventutis, rebelliones membrorum et æstus carnis patientes, turpe aliquid perpetrent, tentationibus animam vincentibus. Verba Pauli consideremus. « Si quis autem turpem, *inquit*, se videri existimat super

[1] 1 Cor. VII, 29. — [2] Ibid. 32. — [3] Ibid. 35.

» virgine sua, quod sit superadulta, ita oportet fieri : quod » vult faciat : non peccat, si nubat[1] : » tacite hic, et consentanee præferens nuptias turpitudini, ratione habita eorum, qui elegerunt quidem virginitatis professionem, ægre autem deinde in ea se continent, ac alio interdum tentationibus inflexi respiciunt, et verbo quidem propter hominum respectum jactant se perseverare, re autem ipsa sentiunt diutius ibi se stare non posse. In eo tamen, qui libero, et sui potente imperio sibi eam legem dixerit, ut suam carnem virginem servet, quique non habeat necessitatem, hoc est, non patiatur vim tyrannicam indomitæ cupiditatis, lumbos in libidinem provocantis (esse enim indoles varias, et naturas corporum), in eo, inquam, robuste certante, ac subigente corpus suum, sicque laudabiliter in proposito perseverante, perducenteque bene cœpta ad optatum finem, utique palmam præstantiæ virginitati Paulus tribuit, dum eum, ut sic agat, adhortatur. Qui enim potest, ait, et cui robur mentis in hoc sufficit, ut honestissima contentione carnem suam virginem custodiat, melius facit; qui autem non potest, legitime autem conjugium suscipit, neque se furtivis inquinat voluptatibus, bene facit etiam ipse. Verum de his hactenus satis. Sumat autem qui volet in manus illam ad Corinthios epistolam, et singulis ejus loci partibus accurate inspectis, hæc quæ diximus etiam consideret, cumque illis comparet, inventurus per omnia congruere. Hæc tibi pro viribus de castitate, o Areta, ego de meo confero.

Eubulium. Quam multis, o Gregorium, vix tandem ad propositum pervenit scopum, longissimum emensa, et transgressa pelagus verborum!

Gregorium. Ita est, ut dicis; sed age, reliqua expediamus, fidelissime reddentes, quæ ab unaquaque dicta sunt,

[1] 1 Cor. VII, 36.

dum recens eorum memoria viget, et quasi personare adhuc iis aures meas sentio, prius quam avolent et diffugiant. Facile enim recordatio recens auditarum rerum ex memoria senum deletur.

Eubulium. Dic sane : talium enim sermonum auditores cupidi convenimus.

Gregorium. Ubi ergo, ut recte dicebas, excurso tranquillo quodam prolixi sermonis æquore, terram aliquando Thalia tenuit : eam Theopatra excipiens, se in hunc modum locutam esse ipsa referebat.

THEOPATRA.

ORATIO QUARTA.

Si semper iisdem, o Virgines, vestigiis artis dicendi sapientia insistere deberet; et una eademque perpetuo graderetur via : fieri non posset, quin molesta esset oratio mea, dum aggredior de iis disserere, quæ jam ab iis, quæ ante dixerunt, sunt occupata. Quoniam vero innumerabiles, et mirabiliter varii, multifarieque dissimiles orationis flexus, quam multiplex Dei nos afflantis Spiritus huc ducens illucque circumagit : quæ infirmitas vocationi diffidentis suæ animi fuerit, occultare se ac degeneri latere metu? Non enim extra culpam est, qui concessæ sibi Dei gratia facultatis conscius, non ea utitur ad ornandas res honestas sermonibus, meritam Deo bonorum omnium auctori laudem referentibus. Quare nos quoque, pro modulo facultatis, celebremus purissime lucentem, et micantissime splendidam Christi stel-

lam, castitatem. Latissima enim Spiritus ipsa est, et sine invidia patens semita. Unde igitur initio ducto apta possimus et consentanea argumento quod dudum tractatur intexere, hinc providendum est. Ego sane plane comperisse mihi videor, nihil esse magis efficax restituendis in paradisum hominibus, et mortalitati in incorruptibilitatem reparandæ, reconciliandisque cum Deo nobis, quam salutarem et viæ ad vitam ducem hominibus castitatem. Cur ita sentiam exponere conabor, ut clare vi gratiæ, de qua agimus, auditu comperta, quantorum illa nobis ferax bonorum sit, intelligatis. Ab initio postquam expulsus e paradiso merito suæ transgressionis homo est, flumen quoddam corruptionis latissime fusum inundavit, et vehementi ruens impetu perniciosis vorticibus, non solum exterius circumveniebat quidquid occurreret, sed penitus in intima quoque penetrans, animas etiam ipsas suffocabat. Hæ vero tentationibus pulsatæ assiduis, surdæ ac attonitæ ferebantur, ab omni propriarum regendarum navium abalienatæ cura, quod nihil fixum certumque cernerent, cui adhærentes inniterentur. Sensus quippe animæ, ut talium rerum periti docent, postquam exterius ingruentibus perturbationibus victi, exceperint furentis cupiditatis, velut fluctus cujusdam redundantis, impetum : statim a recto cursu deflectuntur, tenebrisque offusi, quidquid in natura est ad bonum vergens, obruunt impediuntque, ne in rectum eat. Quare Deus nos ita male habentes miseratus, et neque resistere, neque sustinere nos a lapsu exitiali valentes, demisit e cœlis optimum et gloriosissimum auxilium, castitatem : ut ex ipsa religatis nostris corporibus, instar navium tranquillitate potiamur, sine corruptione in portum subducti, sicuti et Spiritus sanctus testatur. Hoc enim centesimo trigesimo sexto continetur Psalmo, ubi hymnum gratulatorium lætantes Deo concinunt animæ, quæcumque hinc assumptæ deambulant cum

Christo supra cœlos, gratias agentes, quod abreptæ non fuerint vorticibus quibusdam terrenorum et corporeorum fluctuum. In quo Pharaonem aiunt, illum Ægypti tyrannum, figuram Diaboli fuisse : quando mares quidem sine misericordia jubebat in profluentem abjici, fœminas vero servari [1]. Sic enim Diabolus regnans ab Adam usque ad Moysen [2], supra magnam hanc Ægyptum mundi, mares quidem et spirituales fœtus animæ, a fluxis abripi, submergique vitiis procurat studiose : carnalia vero, et sensus expertia augeri, et multiplicari percupit. Verum ne quod proposuimus nobis excidat, age, Psalmum istum in manus sumptum enarremus, quem puræ et immaculatæ animæ concinunt Deo : « Super flumina, *dicentes*, Babylonis, illic sedimus et flevi- »mus, dum recordaremur tui, Sion. In salicibus in medio »ejus, suspendimus organa nostra [3], » organa vocantes manifeste sua ipsarum corpora, quæ suspenderunt e retinaculis castitatis, alligantes ea ligno, ne possent abreptæ rursus trahi fluctu incontinentiæ. Babylon enim, quæ tumultus, aut confusio interpretatur, circumfluam hanc designat vitam, cujus in medio sedentes, circum undique alluimur, quamdiu in mundo sumus, fluminibus nequitiæ in nos semper irruentibus. Propterea trepidamus et gemimus, clamantes cum lacrymis ad Deum, ne fluctibus voluptatis avulsa ab arbore castitatis cadant in profluentem nostra organa. Pro symbolo enim virginitatis divinæ ubique Scripturæ salicem usurpant : quoniam flos ejus in aquam intritus si bibatur, quidquid titillationes intus ciet ac prurigines extinguit : eoque usque valet, ut steriles efficiat et ad generandum inutiles omnes in venerem motus : uti et Homerus indicavit, salices propterea frugiperdas vocans [4]. In Esaia vero « Justi quasi sa- »lices germinare *dicuntur* juxta præterfluentes aquas [5]. »

[1] Exod. I, 16. — [2] Rom. V, 14. — [3] Psalm. CXXXVI, 1. — [4] Hom., Odyss. X, 10. — [5] Isai. XLIV, 4.

Tunc enim alte surgit et ample specioseque dilatatur virginitatis frutex, quando justus, cui ejus servandæ excolendæque gratia data est, mitissimis Christi fontibus, et Sapientiæ vegetabili quadam pluvia maduerit. Ut enim salix non nisi affluenti aquæ copia crescit virctque : sic ea indoles virginitatis est, ut sacris impinguari sermonibus ad florendum vigendumque debeat : nec aliter in eam molem firmitatemque proficiat, ex qua suspendere organum suum quisque possit. Si ergo flumina Babylonis fluxus voluptatis sunt, ut Sapientes volunt, confundentes et turbantes animam : consequens est, ut castitas salicibus designetur, ex qua suspendentes sursum trahimus organa libidinis, vergentia deorsum, et degravantia mentem, ne velut torrentis impetu protusa in cloacas impudicitiæ, vermium more ad fæces et putres tabos adhærescant. Utilissimam nimirum et in primis efficacem ad incorruptionis adeptionem dedit virginitatem Deus, adjutricem eam mittens et fidam sociam cupide aspirantibus adid decus : quales subindicat Psalmus nomine Sionis, quæ vox exprimit illustrem caritatem et mandatum de ipsa : quandoquidem vocabulum Sion *mandatum speculæ* interpretatur. Sic enim reputemus deinde quæ sequuntur. Quid tandem est, cur interrogatas se ab iis qui captivas duxerunt ipsas, animæ fateantur, ut canticum Domini canerent in terra aliena? Nempe hoc dicendo plane docent, Evangelium sacrum esse arcanumque canticum : quod, qui per libidines et adulteria Christiani peccant, diabolo canunt. Insultant enim et tacenda mandata produnt, voluntatem spirituum nequitiæ implentes, et sancta projiciunt canibus, ac margaritas ante porcos[1], quemadmodum et illi de quibus Propheta indignans ait : « Et legerunt foris legem[2]. » Non enim utique, quod extra portas Jerusalem domosve suas egressi, legem Judæi legerent, propterea tam vehementer

[1] Matth. VII, 5. — [2] Amos, IV, 5 (juxta Septuaginta).

increpantur a Propheta, et tanquam flagitii affines accusantur : sed quod transgredientes mandata et offendentes Deum, externa quidem specie, legebant velut pii ac Dei cultores divina mandata : animis vero nequaquam admittebant, per fidem ea retinentes, sed respuebant, operibus negantes. Hinc enim canticum Domini cantant in terra aliena, legem distrahentes quodammodo, et interpretantes humilius, expectantes scilicet regnum sensibile, spesque suas in terra hac plane aliena, neque diu duratura, collocantes : ubi qui captivos eos ducunt, illectant voluptatibus, insidiantes ut eos decipiant. Videntur autem qui Evangelium insanis prædicant, modulari canticum Domini in terra aliena, cujus Christus non est agricola. Verum illæ animæ quæ purissimum, lætum, impermixtum, pium, speciosum virginitatis induerunt, et late fusis radiis vibrant decorem, steriles et penitus expertes fluxarum et in dolores fœcundarum repertæ libidinum, in aliena terra Canticum non cantant : quoniam spes inde suspensas non trahunt; neque mortalium corporum intabescunt deliciis; neque abjecte mandatorum sensum æstimant : sed bene ac fortiter generoso sublimique proposito, sursum promissiones intuentur, cœlum sitientes, ut sibi aptum et natalem locum. Unde magnifaciens nobiles earum cogitationes Deus, cum juramento promittit eximios se ipsis honores repensurum, in principio lætitiæ præponens eos et constituens. Sic enim ait : « Si oblitus fuero tui, Jeru» salem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea » faucibus meis, si non meminero tui; et si non proposuero » Jerusalem in principio lætitiæ meæ [1]. » Nomine Jerusalem immaculatas istas, quas dixi, et expertes noxæ designans animas : quæ austero virginitatis mero impollutis hausto labiis, uni viro aptantur. Virginem castam in cœlo exhibere Christo, incoinquinatorum certaminum præmio coronatæ.

[1] Psalm. CXXXVI, 6.

Hinc enim Esaias Propheta denuntiat : « Illuminare, illumi-» nare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini » super te orta est[1]. » Hæc porro promissa post resurrectionem implenda, cuivis palam est. Neque enim de illo Judææ toties nominato oppidulo Spiritus sanctus loquitur : sed de cœlesti utique illa et beata Jerusalem, quam vult intelligi esse congregationem animarum, quas præposuisse se primas in principio lætitiæ novorum sæculorum denuntiat Deus, splendide insuper promittens, introducturum se ipsas in puram inaccessibilis lucis habitationem, ibique collocaturum candidissimo virginitatis exornatas mundo. Nisi alicui earum veniat in mentem sponsalem ornatum exuere : quod est turpium cogitationum illapsu mentis tenorem laxare. Denique, « Non oblivisci virginem ornamenti sui, et » sponsam fasciæ pectoralis suæ[2], » quod apud Jeremiam dicitur, significat non remittere neque resolvere vinculum castitatis, illecebris aut avocationibus seductum ullis. Pectoris enim mentione merito mens et cogitatio nostra designari creditur. Fascia vero pectoralis, vel zona colligens ac stringens propositum animæ in castitatem, est charitas in Deum : quam mihi et vobis Imperator noster et Pastor Jesus, idemque Princeps et Sponsus, o præclaræ Virgines, concedat, ut nunquam interruptam, et velut inviolabili munitum sigillo depositum ad finem usque servemus. Hac enim possessione melius hominibus auxilium non facile quis aliud usurpaverit, placens et dilectum Deo. Quamobrem aio ego honorandam omnibus virginitatem esse, omnique loco ac tempore tum exercendam, tum laudandam. Hæ tibi et a nobis primitiæ sermonum, o Arete, sufficiant, vel eruditionis, vel studii gratia. — Ego vero (aiebat dixisse Areten) libens accipio quod offers, et jubeo post te Thallusam dicere ; decretum quippe mihi est ab unaquaque vestrum exprimere

[1] Isai. LX, 1. — [2] Jerem. II, 32.

sermonem. — Thallusam igitur paululum moratam quasi ad colligendum se, commentandumque breviter aliquid, sic locutam referebat.

THALLUSA.

ORATIO QUINTA.

Ego vero te, Arete, rogo, ut adjutrix adsis nunc quoque : quo sermonem instituere te primum, deinde etiam et reliquo cœtu non indignum videamur. Tuis videlicet instituta libris ac litteris plane mihi persuasi, id quod hac oratione conabor demonstrare, maximum et spectabilissimum quod divinis appendi tholis donum possit, pulcherrimum, inquam, quod ab homine unquam Deus accipiat munus, esse virginitatis professionem ultro susceptam ejus causa. Enimvero cum multa in Lege memorentur in Dei laudem ab hominibus religionis studio concepta vota; quorum suum ibi cuique pretium, sua laus constat : soli magno se obligasse voto dicuntur, qui se ipsos libera voluntate suscepto castæ vitæ proposito Deo sacraverint. Sic enim illic legitur : « Et » locutus est Dominus ad Moysem, dicens, Loquere filiis » Israel, et dices ad eos : Vir, sive mulier, quicumque magne » voverit votum castificandi castitatem Domini[1]. » Vovet aliquis aurea argenteaque vasa allaturum se in templum, ibique consecraturum : hic fructuum, ille bonorum decimas a se offerendas. Alius pinguissima quæque capita gregum et armentorum; non nemo facultates omnes suas Deo con-

[1] Num. VI, 1.

secrat. Et nullus adhuc horum id potest consequi, ut magnum vovisse Domino dicatur votum. Illi tantum hoc tribuitur, qui se in solidum Deo addidicit. Contendendum mihi apud vos, o Virgines, statui veris afferendis rationibus, ut certam spiritalis sensus sententiam in hac scriptura videatis. Nimirum qui aliqua ex parte sese custodit et religioni attendit, aliqua rursus ex parte averti se sinit, et ab officio relaxatur, totus in solidum Deo non sistitur. Quare opus est perfectum quemque sistere Deo quæque ad animam, quæque ad corpus pertinent, ut integra, nulloque deficiens oblatio sit. Idcirco enim Abrahamo Deus præcipit : « Sume mihi » vaccam triennem, et capram trimam, et arietem anno» rum trium : turturem quoque et columbam [1]. » Quæ si ex allegoria velimus evolvere, hanc tacite innuunt sententiam. Offer mihi et impolluta incorruptaque custodi tuam primum animam vaccæ symbolo designatam, tum carnem, postremo mentem : quarum hæc quidem, sublimia cogitando persequens, per capram significatur, animal per abrupta et præcipitia niti sursum solitum : illam vero adumbrat aries, petulcum et exultabundum pecus, lascivientem et ipsam ægreque se tenentem, nisi acri ab illicitis imperio repressa prohibeatur a veri officii via prolabi. Sic enim perfectus eris et irreprehensibilis, o Abraham, consecratis mihi pariter, anima, sensu et mente tuis : quæ symbolice per vaccam, capram, et arietem exprimuntur : quibus mentio ternarii inspergitur ad insinuandam sanctæ ac bene ominatæ Trinitatis necessariam notionem; nisi forte hic potius occulte innuitur prima, media et ultima vitæ ac ætatis nostræ via. Studente Deo quam maxime, ut enitamur contentione summa, pueritiam, virilem et senilem ætatem castissime transactas ei pariter dicare; quemadmodum et Dominus noster Jesus Christus in Evangelio præcipit, ita præscribens : « Sint

[1] Genes. xv, 9.

» lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus ves-
» tris : et vos similes hominibus expectantibus Dominum
» suum quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit etpul-
» saverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum
» venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis,
» quod faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.
» Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia vene-
» rit, et ita invenerit, beati servi illi[1]. » In his considerate tres designari vigilias noctis, vespertinam, secundam et tertiam : et tres in unamquamque illarum intentari Domini adventus, o Virgines, ut tres ætatum nostrarum mutationes indicentur : quarum prima puerilem, adultam altera, senilem ultima indicat. Vult nempe nos Deus, sive adhuc pueros mori contingat, puros illibatosque nulliusque conscios labis deprehendi. Similiter autem in secunda tertiaque quasi vitæ statione, si nos in iis hora ultima convenerit. Vespertina custodia florem adolescentiæ ac juventutem hominis habet, qua turbari pars animæ superior perturbationum fluctibus incipit; pubescente jam carne atque in libidinem gestiente. Secunda ævi maturitatem obtinet, per quam in virum jam perfectum provecta mens qui et eniti, adversumque perturbationum motus ac libidinem, inanemque festum ac jactantiam, firmitatem ac constantiam incipit adipisci. Huic tertio loco ultima succedit deficientis vitæ portio, qua imagines pleræque cupiditatum evanescunt, marcescente jam carne atque in senium vergente. Quamobrem convenit accensa nos in corde semper ardente fidei lampade, et lumbis castimoniæ balteo præcinctis, vigilare atque expectare perseveranter Dominum : ut sive in prima ætate nostrum aliquos velit assumere, sive in secunda, sive in tertia, veniens reperiensque paratissimos, et quæ mandavit exequentes, reclinet in sinu Abraham, Isaac et Jacob. Jeremias

[1] Luc. XII, 35.

16825

vero, « Bonum esse *ait* viro cum portaverit jugum ab ado-» lescentia sua : et a Domino non recesserit anima ejus[1]. » Bonum enim vere est, jam tum a pueritia suppositum divinæ disciplinæ collum non retrahere usque ad senectutem, neque excutere vectorem puris insidentem mentibus : licet mentem diabolus non cesset in pejus abstrahendo deflectere. Quotus enim quisque est, qui non per oculos, qui non per aures, gustumque et odoratum et tactum, voluptates ac delicias admittat, castitatis sessoris impatiens, quæ utique nequitiæ equum coerceat ac cruenta calce cohibeat? Erit forte, qui hoc intuens, alia omnia sentiet : nostra vero hæc sententia, hæc oratio est : perfecte se Deo consecrasse illum, qui et carnem a puero intaminatam virginitatis cultu custodire contendit. Rem enimvero expetendam : quippe quæ ipsam desiderantibus magna pignora speratorum præmiorum in antecessum repræsentat, eo ipso quod animæ perniciosas debilitat cupiditates, et incendiis quasi frigidam affundit. Nunc quomodo per eam Deo in solidum sacremur, explicandum est : declarando Legem, Numerorum perscriptam libro, in qua magni voti est mentio. Aio autem inter vota omnia votum maximum esse castitatem : indeque id ostendo, quod per eam, et palam, et in totum, dedicata Domino sum : cui non modo intactam a viri congressu carnem meam, sed ab omni, qui sine alieno tactu queat existere, sensu libidinis immaculatam custodire contendo. Nam « innupta cogitat, *inquit*, quæ Domini sunt, quomodo » placeat Domino[2]. » Non solum ne aliqua parte claudicantem virtutis opinionem referat : sed ut utrobique pariter, et in corpore et in spiritu sanctificetur, membra sua Deo consecrans. Quid porro sit consecrare in solidum se Deo, deinceps dicendum. Os meum si apertum ad quædam fuerit, ad quædam vero clausum. Puta, illud aperiam ad enarra-

[1] Thr. III, 27. Jer. m. XIII, 5. — [2] 1 Cor. VII, 34.

EX LIBRIS PROVINC. PRO STUDIO THEOL. S. S. CORDIS JESU

tiones Scripturarum, ad Dei laudes juxta orthodoxam doctrinam magnifice pro facultate celebrandas; claudam vero, custodiam ipsi et ostium imponens, ne vana otiosaque loquatur[1] : tunc os meum castum est, et Deo sacrum. Lingua mea calamus et instrumentum sapientiæ fit[2]; scribit enim per illam insignibus characteribus alto subtilique Scripturarum sensu, mentem illuminans, Patris Verbum : Dominus velox sæculorum scriba, eo quod solus cito paternum conscribat impleatque consilium; audiat, « Cito prædare; » velociter spolia detrahe[3]. » Hujus calamus est scribæ lingua mea, caste ipsi propterea sacrata, et specie quadam fulgens ejus amore digna : quippe pulchriora scribens, quam vel poetæ, vel scriptores alii, qui humanis astruendis opinionibus eloquentiam consumunt. Si assuefecero meos oculos non concupiscendis formis corporum; neque eos sivero spectaculis indecoris delectari, sed cœlestia suspicere jussero : casti erunt oculi, et Deo sacri. Si rursus aures adversus obtrectationes et murmurationes sepivero, aperuero autem eas verbo Dei, frequentans auditoria sapientum : consecravi et aures Domino. Si avertero manus a turpi et fraudulenta nundinatione, a cauponaria institoriaque arte, ab avaritia, ab injusta vi : castæ sunt manus quoque, ac dicatæ Deo. Si facultatem gradiendi cohibuero, ne perversas ingrediatur vias, consecravi Deo pedes etiam : non ad fora, non ad convivales cœtus aut choreas, ubi viri sint perditi, me conferens; verum semper eos adhibens ad implenda Dei mandata. Quid restat post hæc, nisi ut corde casta, et sacra Deo sim? quod consequar cunctis meis cogitationibus ad Dominum referendis; nihil malum mente versando, mundanum nihil reputans; si non penes me superbia, non ira resideat; si Legem Domini die meditor ac nocte. Hoc demum est « magnam castificare castitatem, magnum voven-

[1] Psalm. XL, 3. — [2] Id. XLIV, 2. — [3] Isai. VIII, 3.

» tem votum [1]. » Hinc jam consequenter exponere pergam, quæ isto Legis loco præscribuntur, quæ in vestris ipsæ quotidianis studiis et exercitiis recognoscetis. Dudum enim illa observatis : merito quidem, ea enim ritum et formulam virginitatis veræ continent, docentia quibus abstinere, quæque ab se arcere deceat virginem. Sic autem habent. « Et » locutus est Dominus Moysi, dicens : Loquere filiis Israel, » et dices ad eos : Vir, sive mulier, quicumque magne fece- » rit votum castificandi castitatem Domino, a vino et sicera » temperabit : et acetum ex vino, et acetum ex sicera, et » quæcumque ex uva fiunt, non bibet; et uvam recentem, » et uvam passam non comedet, omnibus diebus voti sui [2]. » Hoc est : ex iis quæ gignuntur ab arbore nequitiæ, qui vovit Domino, seque ipsi consecravit, non carpet, quod ea soleant ebrietatem, et a vigili rationis exercitio alienationem inducere. Duo porro genera vitium diversa, quantum ex Scripturis intelligemus, separatim invicem nascuntur, et dissimiliter inter se habent. Quarum una quidem immortalitatis et justitiæ præbitrix est : altera e contrario, furoris atque dementiæ [3]. Vitis quidem prior, sobria, lætificans cor, e suis præceptis tanquam e palmitibus lætas ostentans dependentes uvas charismatum; stillantes caritatem, Dominus noster est Jesus [4], manifeste dicens Apostolis : « Ego sum vitis vera, vos palmites, Pater autem meus agri- » cola [5]. » Sylvestris vero alia et mortifera vitis, diabolus est; rabiem et venenum et iram distillans. Uti et Moyses innuit, scribens de ipsa : « Ex vite Sodomorum vitis eorum, et » palmes eorum ex Gomorrha : uva eorum, uva fellis; bo- » trus amaritudinis eis. Furor draconum vinum eorum, et » furor aspidum insanabilis [6]. » Ex hac vite collecta vindemia, Sodomorum cives in sterilem masculorum concupis-

[1] Num. VI, 1. — [2] Ibid. — [3] Zach. IX, 17. — [4] Psalm. CV, 15. — [5] Joan. XV, 5. — [6] Deut. XXXII, 32.

centiam æstu furiosæ libidinis ebullierunt, contra naturæ usum [1]. Indidem qui Noe temporibus crapulæ indulgebant, in infidelitatem prolapsi sunt, et submersi diluvio perierunt [2]. Inde hausto Cain poculo, parricidales manus fraterno sanguine cruentavit, et terram cognato cruore polluit [3]. Inde ebriæ gentes suos acuunt in pugnas et mutuas cædes barbaros furores. An non enim homo ut a vino dementatus titubat et offendit, sic et ab invidia et ab ira quoque? An non ut inebriatus vino furit, sic dolore, sic amore, sic libidine amens ruit? Ab hac vite præcipitur virgini ne gustet : quo sobria et vigil a cura sæculari, lucentem lampadem lucis justitiæ accendat Verbo. « Attendite *enim, inquit Dominus*, ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus [4]. » Non solum autem ex iis quæ fiunt ex hac vite præcipitur virgini ne ullo modo gustet, sed et ex illis quoque quæ eam imitantur, eique sunt affinia. Sicera enim vocatur omne vinum factitium, non natura genitum, sed arte paratum, sive ex palmis, sive ex aliis pomis aut fructibus expressum sit. Quemadmodum enim vini pocula, sic et hæ potiones obturant offuscantque rationem vehementer : adeoque, ut vobis quod res est dicam, quidquid, præter vinum ex vite natum, ebrietatem et mentis alienationem bibenti objicit, siceræ vocabulo a sapientibus designatur. Ne igitur virgo solum sibi a veris et genus malum ipsa sui specie præferentibus peccatis nequitiæ cavens, iis polluatur quæ illam quadamtenus æmulantur et participant, aliorum victrix, ab aliis superata, hoc est, ne vestium versicolorum speciosis emollita textibus, vel gemmis et auro, et quæ istis sumptum suggerit, avaritia, similibusque corporis ornamentis capta irretitaque teneatur (quæ

[1] Genes. XVIII, 20, et XIX, 4. — [2] Id. VI, 7. — [3] Id. IV, 8. — [4] Luc. XXI, 32.

et ipsæ curæ animam inebriant), propterea hæc præcipit : cohibens etiam ipsam, ne exc[illegible]a in muliebres levitates effundatur, in risus, fallacias, scurrilitates. Nam et hæc circumagunt animum ac rationem turbant : uti et alibi significavit, sic præscribens : « Ne comedite hyænam et simi» lia ejus [1]. » Hæc enim recta demum et brevis in cœlum via est : non modo non trahere virginem secum quæ impedimento eunti sint, quæque ipsam præcipitare in casum valeant; sed et ab iis cavere, quæ istis sunt affinia. Nam et Dei altare incruentum (id est altare incensi) traditione accepimus esse cœtum castrorum ; adeo magna et præclara res virginitas est. Quare immaculatam illam et perfecte puram omni cura servare oportet, nulla in re communicantem cum immunditiis carnis, sed intus ante faciem Testimonii sapientia deauratam, versus sancta sanctorum erigere, suffitum semper exhalantem Domino suavis odoris caritatis. « Facies *enim, inquit*, mihi post altare, circumtectum ære, » ad holocausta, quo deferuntur oblationes, aliud altare ex » imputribilibus lignis, et deaurabis illud auro, et dabis il» lud in conspectu veli, quod est super Arcam Testimonii, » ante faciem propitiatorii, quod est supra testimonia, in » quibus manifestabor tibi illic. Et adolebit super illud Aaron » incensum aromatum mane, quando concinnabit lucernas; » adolebit super illud incensum semper in conspectu Do» mini in generationes vestras : non inferet super illud incen» sum alienum, et holocaustum, sacrificium et libationem » non libabit super ipsum [2]. » Si lex est juxta Apostolum spiritualis, imagines continens futurorum bonorum [3] : age, reducto velo litteræ evolutam intueamur ad nudum veritatem. Tabernaculum, quod formare exornareque varie Hebræi jussi sunt, expressio quædam Ecclesiæ fuit, ut rebus informatum sensibilibus haberent simulacrum, quo divina

[1] Levit. xi, 29. — [2] Exod. xxx, 2 — [3] Hebr. x, 1.

olim eventura mysteria prænuntiarent. Nam quod ostensum exemplar in monte est[1], in quod intuens fabricatus est Tabernaculum Moyses, idea quædam exacta erat domicilii cœlestis, cui nos quoque nunc repræsentandæ servimus, liquidius quidem, quam si adhuc in figuris versaremur Legis veteris, non tamen ita clare, ut quando ipsa per seipsam se palam ostendet veritas. Verum enim purum et liquidum, quæ mortalitatis hujus conditio est, nondum se hominibus indulsit : quippe cum meræ incorruptionis intuitum ferre non possimus : uti neque nostri oculi contra intueri solis radios impune sustinent. Judæi porro umbram imaginis tertiam a veritate annunciarunt : nos vero imaginem ipsam uno gradu admotiorem veritati gerimus ; in iis, quæ divino instituto in Ecclesia fiunt, illustre præferentes simulacrum conversationis gubernationisque cœlestis, cujus manifesta species tantum post resurrectionem in apertum conspectum dabitur, quando jam facie ad faciem sanctum Tabernaculum, civitatem cœlestem, cujus artifex et conditor Deus est, non autem amplius in ænigmate et ex parte, videbimus[2]. Nempe ut Judæi res nostras præsignificaverunt suis umbris : sic nos cœlestia prænunciamus, eorum imagines exhibentes : quandoquidem Tabernaculum quidem Ecclesiæ symbolum fuit, Ecclesia vero repræsentatio vitæ cœlestis est. Quare cum, ut diximus, Tabernaculum Ecclesiæ figura fuerit : videndum restat, quam Ecclesiæ partem proprie spectaverint altaria, quæ commemoravimus, duo. Ego per prius quidem ære tectum, senilem chorum viduarum in sacro septo degentium intellexerim. Dei enim spirans ara sunt, ad quam passim conferuntur vituli, decimæ, et voluntariæ oblatæ, quæ in Domini sacrificium cedunt. Inauratum autem, altare, intus in Sanctis sanctorum repositum, ante faciem testimonii, in quod prohibitum est sacrificium et

[1] Exod. xxv, 40. — [2] 1 Cor. xiii, 12. Hebr. xi, 10.

libationem ferre, ad eas quæ in statu Virginitatis sunt, videtur referendum, quarum corpora libidinosæ omnis expertia putredinis immortali auro protecta sunt. Aurum duabus passim commendatur dotibus : quod rubiginem non contrahat, et quod fulgore innato, radiorum solis speciem quandam referre videatur. Aptum in utroque Virginitatis symbolum, nullas admittentis sordes ac maculas, et semper divini Verbi luce resplendentis : proptereaque merito intra sacra penetralia, proxime sancta sanctorum, in conspectu Patris immaculatis collocata manibus, incensi ritu preces assiduas mittit Domino, acceptas in odorem suavitatis. Sicut et Joannes significavit, incensum quod in phialis viginti quatuor seniorum erat, orationes Sanctorum esse dicens [1]. Hæc tibi de castitate, prout in promptu licuit, et ego pro viribus, o Arete, confero.

AGATHA.

ORATIO SEXTA.

Hæc locuta Thallusa, referebat ab Arete Theopatra sceptro contactam Agatham : hancque, simul sensit, exsurrexisse, et sic respondisse. Cum multa fiducia tum persuadendi quod dicam, tum bene ac feliciter perorandi, o Arete, suscipiam provinciam quam imponis, te utique ipsa in ejus gestione mihi affutura. Conabor, inquam, et ego ad argumenti propositi tractationem conferre aliquid, accommodatum illud quidem potius ad captum tenuitatis meæ, quam debita proportione respondens iis, quæ jam ab

[1] Apoc. v, 8.

aliis perorata sunt. Non enim possim comparabilia iis adeo varie ac splendide elaboratis disputare. Et stultitiæ profecto notam in me attractatura mihi videor, si ad id connitar, eoque insiliam, ut ad eorum æqualitatem dicendi laude pertigisse judicer, quæ sapientia præstant. Si quis est igitur apud vos dicendi locus iis, qui mediocri et vulgari dicendi facultate instructi sunt : dicere aggredior, nihil quod ad causam hanc faciat, studii ac diligentiæ prætermittens. Incipiam autem hinc.

Incomparabili, o virgines, cognataque atque affini sapientiæ insignitæ forma in mundum venimus omnes. Exacte enim lineamenta referunt, ejus qui creavit et formavit eas, animæ, tunc cum ejus exemplaris purissimi, ad quod intuens Deus in immortalem eas naturam edidit, splendore mirabili circumfusæ, pulchritudinem illam intaminatam obtinent, quam ortu primo acceperunt ab Auctoris manu. Ingenitum enim et incorporeum pulchrum, et neque incipiens neque desinens, sed immutabile, senii expers, defectu laborans nullo, ipse in seipso, et penes se Lumen in ineffabilibus et inaccessibilibus requiescens, potestatis abundantia omnia complectens, et creans et immutans, fabricavit ad imaginem imaginis suæ animam : quæ inde rationalis et immortalis; ad imaginem quippe condita unigeniti, ut dixi, incomparabilem habet pulchritudinem. Quare spiritualia nequitiæ depereunt eam, et quo illa potiantur, insidias struunt : polluere summa vi conantia Deiformem ejus illam et amabilissimam speciem. Uti et Propheta Jeremias indicat, exprobrans Jerusalem : « Frons meretricis » facta est tibi, noluisti erubescere in conspectu amatorum » tuorum[1]. » De ea loquens, quæ seipsam prostituit adversariis potestatibus in contaminationem. Amatores enim sunt diabolus, et angeli ejus, rationalem nostram et per-

[1] Jerem. III, 3.

spicacem intelligentiæ pulcritudinem polluere et inquinare sui commistione machinantes, et adulteri esse cupientes omnis Deo desponsatæ animæ. Si ergo inviolatam custodiat quis et immaculatam istam pulchritudinem, omnino talem qualem qui condidit et expinxit ipsam, delineavit, æternam et intelligentem imitans naturam, cujus et character est homo, et expressa effigies, factus velut simulacrum pulcherrimum et sacrum : hinc translatus in beatorum civitatem [cœlos] ibi velut in templo ad perpetuam moram collocabitur. Incontaminata porro nostra pulchritudo, tunc optime custoditur et secure, quando a virginitate protecta, ab exteriori corruptionis æstu infuscata non fuerit; sed ipsa in seipsa permanens, ornatu compta justitiæ, in sponsam accesserit Filio Dei : quemadmodum ipse insinuat, oportere admonens in nostris corporibus velut in lampadibus, lucem accendi castitatis; siquidem decem Virginum numerus, multitudinem exprimit credentium in Christum animarum, denarii nota numeri rectam in cœlos viam, quæ una solum est, efformans. Verum earum quinque cordatæ ac sapientes erant : quinque autem stultæ ac fatuæ. Non enim providerunt sibi oleum, quo implerent vasa sua, justitia vacuæ manentes. Per has enim, designat eas, quæ strenue currunt ut ad Virginitatis regionem perveniant, et quæ ad hunc amorem explendum attinent, honeste ac sobrie peragunt omnia : et eas, quæ id spectare se unum, eoque gloriari, palam præ se ferunt, remittunt vero postea diligentiam, et superari se sinunt vicissitudinibus mundi; ac quasi virtutis simulacrum primis solum et rudibus lineamentis deformant; non autem vivam ipsam spirantemque in se ipsis elaborant. Quod enim dicitur, « Simile esse re» gnum cœlorum decem virginibus, quæ acceperunt lam» pades suas, et exierunt obviam Sponso[1]; » significat eam-

[1] Matth. xxv, 1.

dem ab omnibus propositi ac professionis viam electam, designatam per litteram ι′ denarii numeri indicem. Dederunt enim pariter sese omnes in societatem unius quasi peregrinationis, eumdem profitentes se scopum sequi, ideoque dicuntur decem, quod idem ultro universæ vitæ genus sectamque susceperint. Non vero pariter etiam omnes exierunt in occursum Sponsi. Nam earum quidem aliquæ alimentum in tanta copia, quanta in longum post tempus superaret, large ac provide suggesserant suis lampadibus oleo flammam alentibus : aliæ vero neglexerunt futuri curam, in præsens consulere contentæ. Quare in pares numeros denario diviso, in quinarios separantur duos : quod videlicet quinque sensus, quos plerique sapientiæ portas appellarunt, puras et virgines a peccatis hæ quidem servaverunt; illæ vero contra magno in numero justorum operum corruperunt, fermentantes eos malitia. Temperantes enim et velut continentes a justitia, feraces fuerunt delictorum; unde et contigit divinis eas septis merito exclusas ejici. Nam sensuum ea vis est, ut sive recte agimus, sive peccamus, ex æquo tam bona quam prava opera in effectum perduci sine ipsis nequeant. Et, ut Thallusa dixit, oculorum virginitatem esse quamdam, item aurium, et linguæ, reliquorumque consequenter sensuum : ita et hic quæ fidem inviolatam servaverit quinque meatuum virtutis, visus, gustus, odoratus, tactus, et auditus, una licet, quinque virgines nuncupatur, quod per quinque quasi foramina quinque sensuum, intus conceptam sanctitatis lucem evibrans, splendidam et Christo jucundam exhibeat speciem quintuplicium quasi radiorum. Lucerna scilicet et lampas velut quædam quinque micans luminibus, caro nostra est : quam gestans anima velut facem Sponso præfert Christo, in die resurrectionis magnifice ostentans fulgurantem ex cunctis sensibus splendidam fidem. Sicut ipse docuit di-

cens : « Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut »accendatur[1] ? » Terram corpora nostra appellans, intra quæ vult celeriter accendi, cito mobilem doctrinæ suæ et inflammatam operationem. Olei autem symbolo sapientiam et justitiam designari intelligendum est. Nam hæc dum large suppeditat anima et affundit corpori, alte inflammatum assurgunt inextinguibile virtutis lumen, ostendens coram hominibus opera bona, ut glorificetur Pater qui est in cœlis[2]. Tale videlicet oleum et illi offerebant in Levitico, « defæcatum oleum, purum, expressum, ut ardeat »lucerna extra velum ante Dominum[3]. » Sed illis quidem brevissimum lumen mandatum erat curare a vespera ad mane. Quare candelabrum ipsorum, quod alebatur operibus et fide populi, recte videtur posse comparari sermoni prophetico, liberam profitendæ castitatis fiduciam ostentanti. Templum vero in quo candelabrum lucebat, bene refertur ad funiculum hæreditatis[4]. Siquidem candelabrum in una solum domo lucere potest. Ante diem igitur oportebat hoc accendi candelabrum[5]. *Accendent* enim *illud*, ait, *usque mane*[6] ; hoc est usque ad adventum Christi : quoniam sole Virginitatis et justitiæ jam exorto, non est opus candelabro. Quanto igitur tempore populus illo congessit alimenta flammæ candelabri hujus, suppeditans oleum per opera, lampas ipsis castitatis extincta non est : sed erat lucens semper, et resplendens, in funiculo hæreditatis ; quando vero defecit oleum, a fide ipsis in petulantiam versis, candelabrum prorsus lucere desiit. Per istam vero noctem resplenduerunt continua successione productæ lampades virginum, cœlitus mundo velut salutarem lucem incorruptionem inferentium. Suppeditare igitur et nunc continue oportet defæcatum oleum bonorum operum et

[1] Luc. XII, 49. — [2] Matth. V, 16. — [3] Lev. XXIV, 2. — [4] Psalm. CIV, 11. — [5] Levit. XXIV, 3. — [6] Mal. IV, 2.

prudentiæ, ab omni deorsum gravante purgatum corruptione : ne moram faciente Sponso extinguantur similiter et nostræ lampades. Mora videlicet Sponsi, est spatium quod hinc ad adventum Christi ultimum intercedit. Dormitatio vero et somnus virginum, exitus e vita. Nox autem media, regnum Antichristi, quando exterminator angelus transibit per domos [1]. Clamor vero : « Ecce Sponsus venit : exite obviam » ei [2], » est vox de cœlis et tuba, quando Sanctis omnibus sua corpora resuscitata recipientibus, universi pariter nubibus invehentur in occursum rapti Domini. Observandum enim est, post clamorem exurrexisse dici omnes Virgines : hoc est post vocem e cœlis demissam resurrecturos mortuos : quemadmodum et Paulus tradit, « Ipse Dominus, » *inquiens*, in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei des» cendet de cœlo : et mortui qui in Christo sunt resurgent » primi [3] : » hoc est corpora : mortem enim illa subierunt amissis animabus. « Deinde nos quibus vivimus, simul ra» piemur cum illis. » Animas significans. Nos enim qui proprie vivimus, sumus animæ, quæ cum corporibus, iis resumptis, in nubibus occurremus, lampades ferentes ornatas non alieno et mundano quopiam ornatu, sed prudentiæ et castitatis, astrorum ritu late jubar vibrantium, æthereo splendore plenissimum. Hæc nostrorum, o pulchræ virgines, orgia mysteriorum sunt. Hæc illorum, quæ in virginitatis aperto celebrantur, arcanæ ceremoniæ sacrorum. Ea præmia immaculatorum certaminum castitatis. Desponsor Verbo, et æternam incorruptionis dotem accipio, coronam et divitias a Patre, et per sæcula triumphum duco splendidis et immarcescibilibus sapientiæ floribus coronata. Choreas ago cum palmam ferente Christo per cœlum, circa principio carentem et ab omni exitio securum Regem, eorum, quæ nunquam occidunt, facem ferre nacta luminum.

[1] Exod. xi, 4. — [2] Matth. xxv, 6. — [3] 1 Thess. iv, 16.

Canto novum in sodalium cœtu mearum canticum Archangelorum, novam gratiam enuntians Ecclesiæ. Sequi enim Dominum semper multitudinem virginum, et ubicumque fuerit Verbum beatos suos ab illis frequentari cœtus, unus ex ipsis Joannes clamat : arcane id in centum quadraginta quatuor millium mentione significans. Ite ergo, o novorum sæculorum felix ac florens virginum pubes : ite, vasa implete vestra justitia. Hora enim ecce est exurgendi, et occurrendi sponso. Ite, blanditias vitæ pellaces, et illecebrosa incantamenta circumagentia, pervertentiaque animas, aure surda prætergressæ. Consequemini profecto quæ promissa sunt vobis.

Hoc per eum, qui monstrat iter mihi, juro, salutis.

Hanc tibi Prophetiis textam coronam ex propheticis collectam pratis, o Arete, et ego a me concinnatam offero.

PROCILLA.

ORATIO SEPTIMA.

Ubi sic optime Agatha perorasset, et magnam universi concessus laudem tulisset, Arete Procillam jussit dicere. Illa vero surgens, et ante ostium tabernaculi progressa, in hunc modum locuta est.

Cunctari me, et ad dicendum pigram esse, etiam post tot talesque sermones, nefas, o Arete, sit; utique fretam non frustra sperando auxilio multiformis sapientiæ Dei, pronam in promptu habentis facultatem communicandæ

[1] Apoc. VII, 4.

sui copiose ac varie cuicunque vult. Aiunt enim qui maritimarum navigationum experientiam habent, aspirare quidem navigantibus unum eundemque ventum; horum vero alios aliter navigationem suam regentes, non eandem in regionem ut appellant contendere. Nempe aliis a puppi ferens in directum afflat aura; alios a latere licet impellens, tamen obliquatis scite velis provehit; utrisque ejusdem ope cursum facile peragentibus. Quo exemplo nobis quoque varias quasi disserendi regiones de uno argumento sequentibus idem Unus, « Intelligens, Sanctus, Unicus [1], » a paternis superne leniter aspirans thesauris sapientiæ Spiritus, afflabit omnibus suave sibilantem et recta ferentem auram intelligentiæ, quæ dirigendo sine labore orationis cursui sufficiat. Ego meæ, tali fiduciâ inchoandæ, moram nullam facio. Unus is demum verus, ac gravis laudandi modus est, o Virgines, quando laudans et re quæ laudatur, et cæteris quæ laudantur omnibus, longe præstantiorem suæ laudationis testem exhibet. Inde siquidem clare licet intelligere, neque ad gratiam, neque ex necessitate, neque juxta incertam opinionem vulgi, laudationem esse compositam : sed exactum ad veritatem continere, minimeque suspectum de adulatione judicium. Enimvero qui de Filio Dei, jam tum ante sæcula existente, plenius ac disertius Prophetæ Apostolique disputarunt, et divinam ejus præ cæteris hominibus naturam demonstrarunt, non utique Angelos auctores earum quas illi tribuebant laudum allegarunt : sed ex ipsa protinus unde apta pendent omnia dictis suis auctoritatem arcessiverunt. Decebat enim ut omnibus, post Patrem, aliis major, eo teste uteretur, qui solus ipso major est (2). Et ego eorum quæ magnifice de virginitate splendideque dictura sum, non homines producam auctores, sed eum cui curæ sumus, excellentissimum rerum omnium principem, a quo

[1] Sap. VII, 22.

et virginitatem excoli, ejusque speciem adamari demonstrabo : eum, inquam, laudum virginitatis idoneum utique testem proferam. Nam suam ea de re sententiam perspicue cuivis cognoscere volenti declaratam exposuit in Cantico Canticornm, ubi Christus ipse animas in virginitatis proposito constantes commendans, ait : «Sicut lilium in medio » spinarum, sic proxima mea in medio filiarum [1]. » Lilio comparans propter puritatem, fragrantiam, suavitatem et hilaritatem recreantis oculos speciei, donum virginitatis. Verna quippe res virginitas, molliter efflorescentibus et semper candidis exhalans calycibus incorruptionem. Unde et se amare formam juventutis ejus fateri non erubescit. « Vulne» rasti cor, *in sequentibus*, soror mea, sponsa, *dicens*, vulne» rasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno orna» mento colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ! et odor » vestimentorum tuorum super omnia aromata. Favum dis» tillant labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et » odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus » conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signa» tus [2]. » Hæc Christus animabus, quæ ad virginitatis septa sese receperunt; encomia canit. Omnes uno circumscribens Sponsæ nomine, quoniam sponsam conjungi oportet sponso, et ab eo denominari, puramque et prorsus illibatam esse instar horti signati, ubi omnia cœlestis fragrantiæ aromata nascuntur, ut solus veniens ea carpat Christus incorporeis germinantia satibus. Carnem quippe non curat Verbum : neque immortalis spiritualisque naturæ corruptibilia illa deperit, manus, faciem, pedes, sed immaterialis et spiritualis pulchritudinis aspectu delectatur, florem vigoremve non attingens corporum. Considerate enim, o Virgines, quando ab ipso dicitur sponsæ : « Vulnerasti cor meum in uno ocu» lorum tuorum : » indicari perspicacem prudentiæ oculum.

[1] Cant. II, 2. — [2] Id. IV, 9.

Postquam scilicet illum homo interior deterserit planeque mundaverit, ut liquidius intueatur veritatem. Duplicem enim esse videndi facultatem, animæ unam, alteram corporis, manifestum est cuivis. Verum eam quæ ad corpus pertinet, amari a se non profitetur Verbum : id reservans alteri, quæ per mentem exercetur. Propterea « in uno, *inquit*, oculo» rum tuorum vulnerasti cor meum; » quasi diceret : intuitu prudentiæ incitasti cor nostrum in amorem, fulgorem ab intus splendidissimum evibrans castitatis. Jam ornamenta colli vocantur torques aut monilia ex variis, et pretiosis contexta gemmis. Cæterum quæ corporibus student animæ, sensibilem hunc ornatum circa cervicem exteriorem carnis exponunt ad deceptionem intuentium : quæ vero virginitatem profitentur, interiorem e contrario sibi ornatum circumdant e variis et ipsum, et vere pretiosis constantem gemmis, libertate, magnanimitate, sapientia, caritate; parum curantes istos qui hic in usu sunt, cito diffluentes ornatus, qui foliorum ritu ad tempus vigentes, mutationibus corporis per statas vices contingentibus evanescunt. Duplex enim nitor est, quo commendari ad aspectum homo potest. Prior internus, immarcescibilis, quo Dominus capitur, « in uno *sibi aiens*, ornamento colli sponsæ, » cor vulnerari; » quasi pellici se, atque ad amorem accendi significans splendore ab interioris vestitu hominis emicante. Uti Psalmista quoque attestatur : « Omnem *aiens* glo» riam filiæ regis ab intus *esse*[1]. » Nolim vero quisquam existimet rejici aliam multitudinem credentium : putans nos solas virgines introductum iri potituras promissis bonis : non cogitans eorum, qui fidei communione tenentur unius, tribus, cognationes, ordines futuros plurimos, cum proportione proposita omnibus præmia participaturos. Id quod Paulus exprimit : « Alia, *dicens*, claritas solis, alia claritas

[1] Psalm. XLIV, 14.

» Lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt » in claritate; ita et resurrectio mortuorum [1]. » Ipse Dominus non eosdem omnibus honores decernit : sed alios regno cœlorum annumerat, aliis hæreditatem terræ pollicetur, alios promittit visuros Patrem [2], nempe corde mundos, hoc est Virgines; in quo prærogativam Virginitati suam servat, primum ordinem et chorum consecratarum ipsi Virginum in requiem novorum sæculorum, tanquam in thalamum in suo comitatu secum introducendum prædicens. Attestatur enim eas, utpote non in aliqua ætatis parte, aut exiguo tempore, ponderi trahentium deorsum corporum generose reluctatas; sed quæ per totam vitam eum laborem tolerare non reformidaverint, certamine velut quodam Olympico Virginitatis fortiter perfunctæ, ac tentationes passæ vehementes voluptatum, ferosque metus et dolores, cæteraque nequitiæ hominum mala, numquam iis succubuerint aut cesserint; testatur, inquam, eas tales sic meritas, primas omnium relaturas præmia, in meliori promissionis extra ordinem collocatas loco. Denique istas solum animas fidei probatæ, electam suam sponsam Verbum appellat : reliquas autem aut filias, sic dicens : « Sexaginta sunt Reginæ, et » octoginta Concubinæ, et Adolescentulæ quarum non est » numerus; una est columba mea, perfecta mea; una est » matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et bea- » tificabunt eam [3]. » Cum multæ videlicet sint Ecclesiæ filiæ, electa et honoratissima in oculis ipsius hæc est super omnes, nimirum ordo Virginum. Quod si quis de his dubitet, quasi adhuc hæc Scriptura nequaquam ad purum declarata fuerit, ac præterea velit ad spiritualem eam referri sensum, juxtaque illum distinctius exponi quænam sint Reginæ, quæ vero Concubinæ, quæ demum Adolescentulæ : dicemus, fieri pose ut ista dicta sint de iis qui a principio per succes-

[1] 1 Cor. xv, 41. — [2] Matth. v, 2 et seq. — [3] Cant. vi, 7.

siones temporum in justitia excelluerunt. Puta, qui ante diluvium, quique post diluvium, quique post Christum continua serie; Ecclesia videlicet sponsa est. Reginæ vero regiæ illæ, Deo placentium ante diluvium Patriarcharum animæ, nempe Abel, Seth, Enoch. Concubinarum vero mentione adumbratæ fuerint animæ Prophetarum, qui post diluvium fuerunt : quæ ex Domino, antequam ei Ecclesia jungeretur, veracium verborum puræ incorruptæque sapientiæ semina conceperunt, ut ei gignerent fidem et spiritum salutis. Tales enim fœtus edunt ejusmodi animæ, monumenta sui æternum mansura relinquentes, quibus sui Spiritus participationem Christus indulserit. Nam si Moysis libros, Davidis, Salomonis, aut Isaiæ aliorumque consequenter Prophetarum intueri volueritis, o Virgines, videbitis quales quamque vitæ ac mundo salutares post se fœtus reliquerint, propter eam, quæ ipsis cum Dei Filio intercessit, communionem. Quare considerate admodum Concubinas vocat animas Prophetarum, quoniam arcanis congressibus eas sibi jungebat, neque illas adhuc publice, ut postea Ecclesias, duxerat, occiso in nuptiales epulas vitulo saginato[1]. Quærendum porro præterea videtur, ne quid nos dictu necessarium effugiat, quid causæ sit cur Reginæ quidem sexaginta numerentur, Concubinæ octoginta, Adolescentulæ vero tam multæ inducantur, ut earum numerus propter multitudinem iniri nequeat; Sponsa denique cur ponatur una? Incipiamus a sexaginta. Sexaginta, opinor, Reginas hic vocavit eos, qui ab Adamo usque ad Noe, continua successione temporum, Deo placuerunt; quoniam aliis hi præceptis ac legibus ad salutem consequendam opus non habuerunt, etiamnun recente apud ipsos memoria creationis mundi sex diebus conditi. Recordabantur, inquam, universitatem hanc rerum mirabili sex dierum ope-

[1] Luc. xv, 23.

ratione a Deo fuisse fabricatam, infixamque sensibus gerebant historiam in Paradiso gestorum : ut nempe accepto mandato non tangendæ arboris scientiæ, illectus ab artifice nequitiæ in exitium miser impegit [1]. Hinc eas, quæ statim a constitutione mundi continua successione amare Deum elegerunt animas ferme, ut sic dicam, primi sæculi soboles, et vicinas magni senarii dierum, sexaginta Reginas symbolice vocat : quia, ut dixi, statim post creationem sex diebus factam extiterunt. Regia quadam in hoc supra cæteras eminentes sorte, quod præcipuo præ reliquis honore affectæ sunt : dignatæ consuetudine familiari Angelorum : et Deum palam, non per somnium, sæpe intuitæ. Considerate enim quanta Setho familiaritas cum Deo fuit? quam intima assiduaque cum eodem conversatio Abelis, Enosi, Enochi, Mathusalæ, Noemi [2]? Primi hi amatores justitiæ : primis primogenitorum ascriptorum cœlesti regno honoribus dignati : primitiæ vero novitate ipsa et nascendi prærogativa jucundiores, expectatorum fructuum, quæ ex plantatis a Deo arboribus anticipata maturitate provenerunt. Ac de his quidem satis. De Concubinis restat dicere. Apud eos qui post diluvium fuerunt, quasi exolescebat prior illa sensim consenescens et spatio antiquata temporum Dei notitia. Opusque iis altera institutione erat, quæ adversus innasci jam et serpere incipientem idololatriam præsidio mortalibus auxilioque posset esse. Nec defuit necessitati Deus : qui ne rerum oblivio salutarium omne funditus humanum obrueret genus, prædicari curavit a Prophetis suum Filium, ejusque appariturum in carne adventum tanto ante nunciari : per quem spiritualis octonarii, remissionem peccatorum et resurrectionem præbituri, gratia et cognitio promulganda foret. Circumcidenda quippe per ipsum vitia hominum et corruptio. Propter hoc, catalogum Prophe-

[1] Genes. III, 3. — [2] Hebr. XII, 21.

tarum qui ab Abraham fuerunt, propter Circumcisionis annuntiationem octonario comprehensam numero, ex qua pendebat lex, octoginta Concubinas appellavit : quoniam hi principes jam tum, antequam Ecclesia desponsaretur Verbo, divinis conceptis seminibus, spiritualis octonarii Circumcisionem prænuntiarunt, tempore legis novæ promulgandam. Quod Adolescentulas innumeras attinet, earum mentione designatæ sunt multitudines innumerabilium Justorum, qui, non illi quidem in supremo perfectionis statu, verum in inferiori ordine, juvenili alacritate generose certaverunt adversus peccatum. Cæterum ex his omnibus, neque Reginæ, neque Concubinæ, neque Adolescentulæ cum Ecclesia comparantur. Hæc enim perfecta et electa supra ipsas universas habita, ex omnibus conflata et in unum coagmentata Apostolis, est illa excellens Sponsa, una incomparabilis vernanti forma vividæ floridæque juventutis et Virginitatis facile omnes superans. Quocirca et beata prædicatur, et laudatur præ aliis, quod ipsa viderit audieritque otiose, quæ illæ cum audire ac videre vel ad breve tempus concupierint, nec videre tamen audireve potuerunt. « Beati » *quippe, Dominus inquit discipulis*, oculi vestri, videntes quæ » videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ cupierunt » videre quæ videtis, et non viderunt : et audire quæ audi- » tis, et non audierunt[1]. » Ob hanc merito causam beatam Ecclesiam Prophetæ vocant, eamque admirantur, quoniam quæ ipsis, cum cuperent, videre audireque non contigit, eorum ipsa spectatrix et particeps fuit. « Sexaginta sunt Re- » ginæ, et octoginta Concubinæ, et Adolescentulæ quarum » non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea[2]. » Licebit autem cuipiam alio ista modo interpretanti, dicere carnem incorruptam, Sponsam in his Domini vocari : propter quam relicto Patre huc descendit eique adhæsit, et ag-

[1] Matth. XIII, 17. — [2] Cant. VI, 7.

glutinatus est, incarnans se in eam. Quare illam per translationem columbam appellat : quoniam hoc mansuetum ac familiare animal est, libenter sub eodem tecto cum hominibus habitans. Una enim profecto labis nævique omnis expers est, ornata præterea longe supra omnium virtutes excellenti justitiæ mundo, formæque tanta fulgens præstantia, ut nemo eorum que vel summe Deo placuerunt, ad ullam etiam e longinquo virtutis aspirare comparationem cum ea possit. Quocirca merito in consortium majestatis Unigeniti ascita ab eo est, illam sibi adaptante venienteque. Itaque in quadragesimo quarto Psalmo, quæ ex pluribus astat a dextris Dei Regina, aureo virtutis ornatu vestita, cujus concupivit pulchritudinem Rex, caro est, ut aiebam, immaculata illa et beata, quam ipse Deus Verbum delatam in cœlos in dextera Patris constituit, in vestitu deaurato circumdatam varietate [1]; hoc est, in studiis incorruptionis, quæ symbolice vocavit vestitum deauratum et varium. Quoniam ex diversis variegatur istud, et quasi contexitur officiis operibusque bonis vestimentum; puta ex castitate, ex prudentia, ex fide, caritate, patientia, reliquisque virtutibus, quæ, operientes turpitudinem carnis, ornant hominem ornatu aureo. Restat ut quid in consequentibus Psalmi post commemoratam exaltationem carnis a Christo assumptæ ad dexteram Patris, Spiritus sanctus adjungat, consideremus. « Adducentur, *inquit*, Regi Virgines » post eam : proximæ ejus afferentur tibi; afferentur in læ» titia et exultatione; adducentur in templum Regis [2]. » Valde manifeste videtur hic Virginitatem laudare divinus Spiritus, ac polliceri Virgines secundo post Christi Sponsam loco, hoc est, ut reddidimus, post carnem ipsius immaculatum, accessuras ad omnipotentem in lætitia et exultatione, deductas tuto præsidio et splendido comitatu

[1] Psalm. XLIV, 10. — [2] Ibid.

Angelorum. Adeo enim amabile, et supra modum desiderabile, decus est Virginitatis, ut post Reginam, quam peccati expertem effecit ornavitque Dominus, et ad Patrem duxit, Virginum chorum ordinemque, secundo statim post Sponsam honore dignetur. Hæ tibi a nobis quoque exercitationes sermonum, o Arete, super Virginitate palam appendantur.

THECLA.

ORATIO OCTAVA.

Talia ubi Procilla perorasset, Meus jam, Thecla, inquit, agendi locus est; eoque gratulans occurro, magnæ mihi ego quoque adjutricis conscia Sapientiæ; cujus etiam quavis cithara suaviorem vocem audire mihi adhortantem videor, et instruentem me, ad accurate decoreque disserendum.

Arete. Volenti sane mihi, o Thecla, plurimumque gaudenti, experrectus iste tuus, et ultro emicans ad capessendam rem impetus accidit. Ex quo equidem omen jam hinc auguriumque rapio non fallax responsuram te magnifice expectationi nostræ, ac pro tua insigni facultate locum hunc totum copiose ornaturam et splendide. Quid enim ad hoc utique tibi deest, quæ externæ philosophiæ variæque eruditionis cunctarumque artium liberalium comprehensione cedas nemini : Evangelica vero ac divina doctrina scilicet antecellas omnibus, utpote a summo ejus generis instituta edoctaque magistro Paulo.

Thecla. Sumamus ergo sine mora principium dicendi ab ipsa protinus notatione nominis : inquiramusque quam ob

causam principalissimum istud et beatum studium quo de agimus παρθενία vocitetur : tum explicabimus quale id sit, quamque habeat vim. Denique quos ex se fructus ad extremum edat. Parum enim abest, quin misera omnes vulgo ignoratione laborent hujus laudis incredibiliter excellentis supra quælibet alioquin heroica officia virtutum, quæcumque vel ad purgationem vel ad exornationem usurpamus animæ; παρθενία siquidem quasi παρθεῖα (*prope divina*), levi mutatione litteræ, ex merito dicta est, utpote quæ sola possessorem suum, incorruptis ejus initiatum sacris Deo efficit similem, quo bono majus nullum reperiri potest, et a voluptatis dolorisque perturbationibus æque sejunctum. Cujus irrigatione velut quadam aucta et vegetata vis animæ, volucrem mirabiliter levitatem concipit, per quam evecta supra regionem, et consuetum modum quotidianarum homini curarum, alte ad cœli viciniam extollitur. Quoniam enim panegyrem vitam esse nostram sapientes dixerunt; nos autem quasi personas scenæ justitiam veritatis in theatrum dantes; contra nitentibus et diverso spectaculo avertere ad se oculos et plausus contendentibus, diabolo et dæmonibus æmulis nostris : expedit, ne nos quoque bellacibus pompis rapiamur, tollere ad cœlum oculos, et sublimi volatu fugere illecebras dulcium vocum, speciosique choragii fulgores, exterius inducto probitatis honestæ tectorio fœdissima vitia celantes ; et Sirenum arte Homericarum vitæ ac saluti publicæ insidiantes : non sine pernicie multorum, qui sævis deliniti blanditiis atque ad erroris voluptates adhærescentes, pennis velut diffluentibus gravantur deorsum, et ex ætheria professionis divinæ sublimitate in vitæ vulgaris humilitatem relabuntur, relaxatis et languida mollitie resolutis nervis illis alarum, quibus generosæ Virginitatis corroboratur cœlestis indoles, inde satis valens ad inhibendam sursumque levandam molem corporum in corruptionem pronam. Hinc tibi, o Arete,

nomen est, sic dictæ, vel quod per te ipsam αἱρετὴ [*eligibilis*] eligique digna es honestate innata propriaque tibi, vel quod αἴρεις [*attollis*], et cœlum versus sublevas candidissimas, quibus semper inveheris, mentes. Esto ergo mihi particeps adjutrixque sermonis, quem nutu imperioque sum ingressa tuo. Qui enim defluxum, quem dixi, pennarum passi, in voluptates deciderint, non prius dolere ac laborare desinunt, quam impulsu concupiscentiæ vehementi ad explenda pertracti desideria nequitiæ, exclusi sacris, et mysteriorum veritatis exules, ex sacra in quam erant producti, scena exturbati, eo dedecoris miseriæque delabuntur, ut ne in conjugii quidem honorabilis statione[1] permanentes, in sæve dulcibus tragicorum amorum per horribilia flagitia furoribus volutentur. Quæ vero heroicæ beatæque animæ alacri expeditoque suspensæ virginearum alarum nisu, in supermundanam vitæ regionem visum cursumque direxerint, intuitæ procul, quæ nemo alius hominum vidit, prata ipsa et viridaria incorruptionis, et specie mira immortalium florum, plena copia, nitentes hortos; semper animo versant ea, quæ illic ostenduntur, spectacula : quo fit, ut tanquam vilia despiciant quæ hic putantur pulchra, opes, honores, nobilitatem, nuptias : nec quidquam eorum æstimatione aliqua dignentur. Quin et si quis corpora eorum feris flammisve objicere voluerit, dirisque excarnificare suppliciis, quantamvis acerbitatem tormentorum parati expectant securique; adeo ista, de qua dixi, pulcherrima specie perculsi correptique, nihil admirari, ne videre quidem possunt rerum mundi, in quo ita sunt ut longe abesse videantur; ac jam mentis altitudine nobiliumque desideriorum impetu rapi super astra in cœlisque versari. Non enim fas est in terram vergere contra suæ indolem naturæ Virginitatis alam : cujus potius et officium et innata proprietas est : hominem ad

[1] Hebr. XIII, 4.

cœlum purumque æthera, viciniamque angelicæ vitæ tollere. Unde priores cæteris postquam hinc evocatæ per mortem sunt, quæ recte fideliterque Virginitatem coluerunt, victoriæ coronas certaminum contentioni respondentes a Christo consequuntur, immortalitatis redimitæ floribus ipsa ejus manu. Siquidem simul felices illæ animæ solutæ corporibus mundum reliquerint, præsto ecce adsunt virgines Virginibus obviam festive procurrentes Angeli, ambitioso famulatu deducturi eas, in ipsas de quibus memoravimus amœnissimas, nec frusta ipsis procul trans vitæ nebulam visas, et constanti desiderio concupitas sedes : quando frustra obstante crassitie corporum, quibus adhuc devinctæ tenebantur, lynceam perspicacitatem illuminatarum mentium in divinas tamen formas admittebant. Jam vero illuc perductis fruenda offeruntur illustrissimarum, et supra quam homines suspicari possunt, admirabilium beatissima spectacula pulchritudinum. Ipsa quippe illic justitia, ipsa prudentia, ipsa sese palam monstrat, indulgetque cum caritate veritas, et castitas; aliique id genus speciosissimi sapientiæ flores ac fœtus; quorum nos hic umbras solas imaginantes quasi per somnium, putamus ex humanis constare operationibus : quoniam nullum suppetit ipsorum conspicuum simulacrum; sed designationes duntaxat exiles, quas ipsas obscure, et veluti in caligine quadam, a nobis delineari, ipsi plerumque sentimus. Non enim unquam in vita mortali justitiæ, prudentiæ, tranquillitatis ipsius veram speciem, habitum, magnitudinem informavit quisquam oculo mentis aut corporis : quæ illic coram et vere, quantæ qualesque sunt palam cernuntur. Est, inquam, in istis Elysiis beatoque Paradiso sylva speciose vernans divinarum arborum, continentiæ ipsius, ipsius caritatis, ipsius prudentiæ : quali modo amœna terrarum Tempe laudatis illis decorantur plantis, et specie ramorum, et fructuum suavitate

commendatis, puta vitis, malogranati, malorum omnis generis. Quarum ut hic et virore ad aspectum, et sapore ad gustum homines fruuntur, et eo se beatos putant : sic istarum naturæ haud paulo melioris arborum, translatæ in cœlestem vitam animæ, spectacula præclara suavissimosque fructus capiunt, cum ea felici differentia, quod harum nec copia deficit, nec amœnitas defluit : sed æternæ ipsæ divinæque, utentes ipsis vescentesque in immortalitatem alunt, æternitatem eis divinitatemque communicantes. Talis cujusdam felicitatis usuram ille Primus, ex quo sumus omnes, homo habuit, vitio suo brevem; ante videlicet quam oculorum quibus ista sentiuntur, mereretur privatione cæcari. Deus enim sic instituerat, ut plantarum sapientiæ custos cultorque homo esset. Talium quippe arborum concredita homini primo cultura fuerat. Et hæc reperiri intellexit Jeremias seorsim, in loco quodam, qui ab orbe nostro longe disjunctus est. Sic enim ait ubi eorum miseriam deplorat, qui ævi beati bonis exciderunt : « Discite ubi sit prudentia, » ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul, ubi sit » longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax, » quis invenit locum ejus? et quis intravit in thesauros eo» rum[1]? » Horum nempe in thesauros ingressæ Virgines, decerpunt de virtutibus; multis et bene ordinatis irrigatæ luminibus, quæ instar fontis Deus ipsis infundit, collustrans illud ævum luce inextinguibili : semper autem choros agunt, modulate laudantes Deum. Circumfunditur autem ipsis aër purus, nec splendorem suum debens superequitanti Soli. Nunc ergo, Virgines, castitatis incorruptæ filiæ, de vita omnibus bonis beata, deque cœlorum regno contentio vobis est. Eia in eamdem Virginitatis intemeratæ laudem cum pri ribus vos quoque conspirate, parum curantes hoc sæculum ac mundum. Non enim exiguam facultatem Virginitas

[1] Baruch, III, 14.

præbet facile assequendæ incorruptionis : quippe quæ excitatam humo carnem in altum elevet, redundantes ejus humores siccet, lutulentamque gravitatem levitatis impressione fortioris vincat. Neque vos sordidarum et peccare docentium auditus ullus fabularum inclinet ad terram ; nec mœror gaudium interpolet, conscitæ pudore culpæ spei beatæ præceptam lætitiam extorquente : sed constanti perseverantia laboris, excutite ingruentes in vos clades, non funestantes luctu serenitatem placidæ mentis. Vincat enim fides per omnia : et lux ejus repellat quæ mali missu dæmonis circa cor nundinantia sese ingerunt fœda simulacra. Nimirum ut quando serenam noctem plena illustrans luna, affusis ab occasu densis atrisque nubibus ad tempus occulitur, non aufertur tamen : quippe statim vi venti difflatis nubibus, mundo clara redditur. Sic et vos lucem Virginitatis ostendentes mundo, etsi angustiis et laboribus vexamini, ne tamen, ne quæso, Virgines, circa spem vestram titubetis. Spiritus mox aderit difflaturus diabolicas nubes : si vos, quemadmodum Mater vestra, illa masculum Virginem in cœlo pariens, infensi anguis insidias minime metuatis. De qua ego quidem Muliere distinctius vobis disserere constitui : idque agendi tempus hoc est. « Signum magnum ap» paruit in cœlo, *ait in Apocalypsi Joannes.* Mulier amicta » sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona » stellarum duodecim, et in utero habens clamabat partu» riens, et cruciabatur ut pariat. Et visum est aliud signum » in cœlo : et ecce Draco magnus, rufus, habens capita sep» tem et cornua decem, et in capitibus ejus diademata sep» tem : et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum » cœli; et misit eas in terram; et draco stetit ante Mulierem, » quæ erat paritura : ut cum peperisset, filium ejus devo» raret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat om» nes gentes in virga ferrea ; et raptus est Filius ejus ad Deum;

» et ad thronum ejus; et mulier fugit in solitudinem, ubi » habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus » mille ducentis sexaginta [1]. » Hæc ibi summatim de Muliere et Dracone, quorum interpretationem excogitare majus est quiddam nostris viribus. Experiamur tamen ei fidentes, qui jussit ut Scripturas scrutaremur. Cujus sententiæ si estis vos quoque, nihil verebor ad rem aggredi, paratam a vobis habens spem veniæ, si forte ad intime penetrandam Scripturæ arcanam mentem pervenire neutiquam potuero [2]. Quæ apparuit amicta sole in cœlo Mulier, coronata stellis duodecim, cui ad pedes luna subsidet, quæ parturit et cruciatur ut pariat, ipsa proprie est secundum exactam intelligentiam Mater vestra, o Virgines, Virtus quædam in seipsa existens diversa a filiis : quam Prophetæ pro eorum quæ feruntur conspectu et argumento interdum Jerusalem appellant, interdum Sponsam, aliquando Sion montem, nonnunquam Templum et Tabernaculum Dei. Nam quæ studet cupitque illuminari Virtus apud Prophetam, inclamante ipsi Spiritu, « Illuminare, illuminare, Jerusalem, quia venit lu- » men tuum, et gloria Domini super te orta est. Ecce tene- » bræ operient terram et caligo populos. Super te autem orie- » tur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt » Reges in lumine tuo, et Gentes in splendore ortus tui. » Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congre » gati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longe venient, et filiæ » tuæ de latere surgent : » est Ecclesia, cujus filii magno undique concursu post resurrectionem ad ipsam venientes, in ejus confluent sinum : quæ lumen accipiens inoccidiuum, gaudet stolæ ritu Verbi splendorem induta. Nam quo alio pretiosiori speciosiorive ornatu comptam eam adduci Sponsam decebat Domino, quam luce pro vestimento circumdatam? cujus ornamenti etiam respectu a Patre vocata fuerit,

[1] Apoc. XII, 1. — [2] Joan. V, 39. — [3] Isai. LX.

Agite enim, in altum evectæ mentis alis contemplamini, ut solent esse spectaculo nuptiali comptæ ornatu Virgines, Mulierem grandem, immaculatam totam, stabilem quandam pulchritudinem, nihilque minus quam radios lucis splendidæ undique vibrantem : et pro stola quidem, luce vestitam; pro lapidibus autem pretiosis, splendentibus stellis circum caput ornatam. Quod enim nobis vestis, hoc illi lux : et quod nobis aurum, aut pellucidi lapilli, hoc illi stellæ. Stellæ vero non vulgares istæ, quales serena nocte se oculis ostentant; sed aliæ potiores lucidioresque : adeo ut hæ, quas cernimus, illarum nihil nisi figuræ simulacraque imperfecta videantur. Jam calcare lunam Mulier dicitur. Lunæ symbolo fidem, ni fallor, innuens eorum, qui per lavacrum a corruptione purgantur. Propterea quod ejus lumen simile videtur aquæ tepidæ : et omnia quæ naturæ sunt humidæ ex ea pendent. Insistit igitur supra fidem, et persuasionem nostram Ecclesia, quasi supra plenam quandam lunæ speciem; donec subintroeat plenitudo Gentium : parturiens et regenerans animales in spirituales, secundum rationem qua mater est. Ut enim informe viri semen, quæ concepit mulier, certo mensium orbe perfectum hominem efformat : similiter quis dixerit eos, qui ad Verbum confugiunt, semper conceptos ab Ecclesia, et ad Christi similitudinem exemplari ejus inspecto formatos, certis temporum effici periodis cives beatorum illorum sæculorum. Quare illam præsentem esse in lavacro necesse est, eos qui lavantur generantem. Hoc enim modo et σελήνη (hoc est luna) vocatur ea quam circa lavacrum obtinet vis : quoniam νέον σέλας (novum jubar, hoc est novam lucem), renovati qui regenerantur, spargunt. Unde et νεόφωτοι (hoc est de novo illuminati) per quamdam circumlocutionem vocantur : qua spirituale illis plenilunium per Passionis circulum ac memoriam semper novum obscuris significationibus exhibet, quoad lu-

men perfectum oriatur magnæ diei. Si vero quis (non enim grave sit diserte omnia exprimere) non acquiescens modo dictis, contra excipiat. Quæ est hæc, quamque ad mentem Scripturæ hujus expositio, o Virgines, cum utique Apocalypsis masculum ab Ecclesia generari definiat : vos autem istum Ecclesiæ partum ita interpretamini, ut in iis qui per baptismum regenerantur impleri doceatis. Huic ita respondebimus. Atqui ne tibi, quidem, vitilitigator argute, facile fuerit ostendere Christum esse ipsum istum masculum, qui editus a muliere parturiente in lucem dicitur. Dudum siquidem ante Apocalypsim impletum est mysterium incarnationis Verbi, quo Christus est natus ex muliere. Porro Joannes non de præteritis, sed de iis quæ vel tunc fierent, vel quæ olim eventura essent, loquitur. Præterea Christus dudum conceptus, postquam deinde natus est, non est raptus ad tronum Dei, metu ne illi noceretur a serpente : quin potius ad hoc ipsum venit, et e Patris trono prodiit, ut draconis incursum in carnem suam pateretur, et sic eum subjugaret. Quare te quoque fateri necesse est, Ecclesiam esse istam mulierem quæ parturit : fœtum autem ejus esse illos, qui ei per baptismum aggregantur; ut per Esaiam Spiritus dicit : « Priusquam parturiret peperit, » et antequam veniret partus ejus, effugit et peperit masculum. Quis audivit unquam tale? aut quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul quia parturivit Sion et peperit masculum[1]? » Quem effugit? non sane alium quam draconem, ut generaret populum spiritualis Sion, marem; qui nempe mulierbribus ex vitiis et mollitie, fortior exurgens in Domini unitatem occurreret, masculo robustus animi proposito virilique constantia. Dicamus ergo hæc rursus eadem, et ab initio resumpta continua serie, ad finem modo dicta distinctius

[1] Isai. LXVI, 7.

exponendo deducamus. Attende igitur, an non sic tibi ad rectam, et probabilem sententiam locus hic explicari videatur. Ego marem tunc gigni ab Ecclesia puto dici, cum conversi baptizantur : quoniam lineamenta, formam, virilemque Christi animum, sumendo baptismo Fideles concipiunt : ut fiat tunc in ipsis vera forma, expressaque imago Unigeniti, per certam cognitionem et fidem : ita ut in unoquoque spiritualiter generetur Christus. Ac propterea Ecclesia parturit enititurque, donec formetur in nobis genitus Christus : ut quisque Sanctorum participando Christo Christus fiat. Juxta quem sensum in quadam scriptura dicitur : « Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis » nolite malignari[1]. » Quasi Christi vere ii sint, qui per communicationem Spiritus in Christum baptizati fuerint, conferente hic transitum in Verbum, et transformationem eorum Ecclesia. Confirmat autem et hæc Paulus, palam docens, ubi dicit : « Hujus gratia flecto genua mea ad » Deum et Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlo, et in » terra nominatur : ut det vobis secundum divitias bonitatis » suæ spiritu corroborari per Spiritum ipsius in interiorem » hominem; habitare Christum per fidem in cordibus ves- » tris[2]. » Etenim in regeneratorum animas necesse est, veluti sese sigilli ritu imprimens efformari exprimique Verbum veritatis. Videtur autem vel maxime congruere jam dictis, eaque astruere, quod ex persona patris Christo ad Jordanem baptismi causa venienti e cœlo oraculum defertur : « Filius meus es tu, ego hodie genui te[3]. » Observandum enim Filium esse suum dicere indefinite, et sine determinatione temporis. *Es* enim, ait : non autem *fuisti*. Significans neque recens ipsi contigisse filiationem; neque quod jam sit, unquam esse desiturum : sed qui ante genitus fuerit eumdem semper esse, et fore. Quod vero addit,

[1] Psalm. civ, 15. — [2] Ezech. iii, 14. — [3] Psalm. ii.

« Ego hodie genui te, » declarat, qui jam ante sæcula prius in cœlo erat, hunc voluisse se mundo quoque generare : hoc est : prius ignoratum ostendere. Itaque iis hominibus, qui nondum agnoverunt multiformem Dei sapientiam, nondum genitus est Christus ; quod est : nondum est cognitus, nondum manifestatus, nondum apparuit[1]. Si vero senserint et ipsi mysterium gratiæ : tunc et ipsis, quippe qui jam conversi sint et crediderint, per notitiam et prudentiam gignitur. Quare convenienter, hinc Ecclesiam masculum Verbum, in iis qui castificantur, semper formare dicitur et generare. Et hactenus quidem de partu ipsius pro viribus dictum sit. Deinceps de dracone, deque aliis in ista scriptura memoratis fides liberanda est. Conemur ergo ea ut poterimus exponere, nihil deterritæ magnitudine obscuritateque enigmatum ingenti. Quod si quid perplexum ac difficile inciderit, ego rursum vobis quasi pontem sternam, aut portitoris officio trans amnem deportabo. Draco magnus, rufus, versutus, multiplex, septiceps, corniger, trahens tertiam stellarum partem, qui stat in insidiis ut filium parturientis mulieris devoret, diabolus hic est, obsidere solitus ac circumvenire, pervertereque conans recens baptizatorum mentem, Christi admiratione amoreque occupatam: delereque ex illa, si queat, effigiem illam ac formam modo impressam et ingenitam Verbi. Verum frustra est, conatusque illi sui abeunt in vanum ; sursum enim longe ad tronum Dei rapiuntur qui regenerati sunt ; hoc est : eorum mens et cogitatio qui renovati per fidem et baptismum sunt, alte attollitur circum divinam sedem, et inoffensum vestigium solumque veritatis, instituta eruditaque ut quæ ibi sunt intueatur, imaginetur, in iis hæreat illicque teneatur, ne fraude hinc dolisve detrahi queat draconis deorsum deprimentis : cui non permittitur in superna versos iisque

[1] Ezech. III, 10.

intentos contemplandis, dejicere. Stellæ vero quas summa cauda draco de fastigio ipsarum contingens everrit in terram devolvitque, hæresum perversæ sectæ sunt. Stellas quippe tenebrosas, in humilia dejectas, conventicula heterodoxorum recte dixerimus : quando sese cœlestium peritos et ipsi jactant, et in Christum credidisse gloriantur, stationemque in cœlis habere, atque inter astra versari, ut lucis filios. Verum detrahuntur draconis excussi flexibus : quoniam intra triangulares religionis figuras non se continent ; prolabentes ex ipsa, et ex orthodoxo Dei cultu exorbitantes. Unde tertia stellarum pars vocantur : quoniam circa unum ex numeris Trinitatis delusi errant (5). Aliquando quidem circa Patrem, ut Sabellius, qui Omnipotentem ipsum passum asseruit. Aliquando circa Filium, ut Artemas, et qui apparentiam in eo solam agnoscunt : aliquando circa Spiritum sanctum, ut Ebionæi, qui ex proprio motu Prophetas locutos contendunt. Marcionis enim, et Valentini, Eclesæique, et aliorum melius fuerit ne mentionem quidem facere. Quæ vero genuit, et peperit masculum in cordibus eorum, qui crediderunt Verbum, inviolata illæsaque ab ira serpentis, in desertum summota, Mater nostra est, ut diximus, Ecclesia. Desertum vero, in quod ubi venit, ibi pascitur per mille ducentos sexaginta dies, vere desertum a malis : sterilis corruptionis, nec ferax terra, noxiorum germinum, difficilis aditu eadem, et asperitate sua quadam vulgarium hominum vestigiis parum commode calcabilis : cæterum frugibus tamen fructibusque felix, quin et pascuis abundans, et amœne florens perviaque sanctis, copia redundans sapientiæ, germinansque vitam, hic est ipse in quo sumus pulcherrimus, speciosissimus, umbrosus sylvis, suavissimisque halans floribus virtutis hortus. « Ibi surrexit Auster, et flavit Aquilo, et fluunt aromata [1] ; »

[1] Cant. IV, 16.

et ambrosiis omnia roribus madent, immortalis vitæ semper virentibus coronata plantis. Quo in loco jam nos sumus legentes flores, et ex iis Reginæ coronam purpuream, et splendidam texentes Virginitatis intactis digitis. Virtutis enim ornatur fructibus Sponsa Verbi. Mille porro ducenti sexaginta dies, per quos hic sumus in peregrinatione, Patris est, o Virgines, et Filii, et sancti Spiritus secundum rectam fidem exacta et optima cognitio, qua gaudet mater nostra ex eaque alitur et crescit, et jucunde reficitur per hoc tempus, donec instituantur nova sæcula, quando in cœtum aggregata beatorum, qui in cœlis degunt, non jam per ratiocinationes et contentionem mentis intelliget id quod est, sed palam et clare ipsum cernet, simul cum ipso ultra intimum admissa velum. Millenarius quippe ex centenario decies multiplicato constans, perfectum numerum et plenum continet: quod est symbolum Patris, qui ex seipso condidit, et in seipso continet omnia. Ducenta vero ex duobus perfectis numerus conflatus, symbolum sunt sancti Spiritus: quatenus is notitiæ Filii et Patris est præbitor. Denique sexaginta, senarium numerum in decadibus habent, eoque symbolum Christi est: quoniam senarius ex unitate progrediens numerus, ex propriis componitur partibus ita, ut nec desit ipsi, nec redundet ex iis quidquam. In suas enim ipsius partes resolutum exhauritur. Nimirum si sex æquales in numeros alios atque alios dividantur, necesse est et iisdem simul iterum junctis senarius idem reparetur numerus. Primum quippe si dividatur medius, tria efficit: rursus si in tres dividatur partes, efficit duo: si denique in sex partes distribuatur, unicuique parti sola unitas competet. Unde patet refundi semper in senarium omnes ejus divisiones ac partes. Nam in bis tria, ter duo, sexies unum divisus, conjunctis inter sese tribus, duobus, et uno, rursus senarium integrum perficit. Perfec-

tus autem hic numerus necessario totus est, cui nihil desit aliud ad naturalis plenitudinis modum, nec ultra eum redundet unquam. Aliorum autem numerorum quidam plusquam perfecti sunt, ut duodenarius : media quippe pars ejus senarius est, tertia vero quaternarius, quarta ternarius, sexta binarius, duodecima unitas. Hæc autem, in quæ duodenarius potest dividi, si rursus in se componantur, excedunt duodenarium, qui se proinde non servat æqualem suis partibus, sicut senarius. Alii imperfecti, ut octonarius. Hujus enim dimidium, quaternarius; quarta vero pars, binarius; octava, unitas. In quas divisus partes si rursus ex ipsis componatur, nihil nisi septenarium reddit : indigens unitate, ut ad sui complementum perveniat : non plane ex omni parte sibi consonans ipsi, ut senarius. Quapropter hic ad Filium Dei refertur, a plenitudine divinitatis in vitam perfectum. Exinanitus enim, et forma servi suscepta [1], in suam ipsius rursus perfectionem plenissime atque dignitatem restitutus est. Ipse enim in se ipso diminutus, et in suas ipsius partes resolutus, ex ipsa diminutione sua, et ex suis partibus, in plenitudinem rursus priorem, atque in magnitudinem reparatus est; alioqui nunquam ita minutus, ut non simul perfectus existeret. Sed et mundi creatio ex hoc tota conflata numero videtur. Sex quippe dierum spatio cœlum et terram, quæque iis continentur, Deus condidit : senarium in sese continente numerum creatricis virtutis ratione, in quo ternarius corporum effector censetur : longitudo quippe, profunditas, et latitudo corpus efficiunt. Porro senarius ex trigonis conflatur. Ac de his quidem non est opportuna in præsens occasio disserendi accurate : ne omisso principali proposito, in consectaneis, aut circumstantibus hæreamus. Hanc igitur in solitudinem malorum sterilem seposita, uti prius dixi-

[1] Philip. II, 7.

mus, Ecclesia, pascitur pennasque adolescens accipit, sensim sese pertingendæ cœlorum altitudini puris instruens Virginitatis alis : quas « alas Aquilæ magnæ[1] » Scriptura vocat : quibus, victo serpente, et sui, quod calcat pedibus, plenilunii procellosis nubibus superatis in tutum evadit. Horum gratia hi, quos hactenus impendimus, prolati a nobis sermones sunt : adhortantes vos, o egregiæ Virgines, ad totis viribus imitandam matrem cavendumque ne inficiamini doloribus, conversionibus, et calamitatibus vitæ : quo possitis lætæ cum illa occurrere in thalamum, præferentes ornatas lampades. Ne ergo despondeatis animos propter vafras artes, et calumnias serpentis : sed præparate vos acriter ad pugnam, galeam salutis[2], et loricam, tum crurum femorumque indumenta bellica indutæ; incredibilem enim ipsi consternationem inferetis, magno in ipsum animo robustaque invectæ constantia. Neque omnino sustinebit impetum; ne ad speciem quidem stabit, Dei videns jussu ductuque instructas, et accinctas adversum se acies procedere. Sed statim tollere vos certaminum septem opima spolia præmiaque sinet multiceps, et multifrons bestia.

> Fronte leo, caudaque draco, medio orbe chimæra,
> Ore vomens sævis incendia lurida flammis[3].

Et illam quidem Bellerophon confecit : hanc vero,

> Christus Rex, facili multorum cæde ferocem ;

Quos gratam spumeis faucibus escam habuit, habituraque erat, nemine furori ejus valente obsistere, nisi mature victam ipsam exarmatamque interfecisset, deprensam eventu imbecillitatem ejus contemnendam irridendamque proponens nobis Christus. Quare marem animum sobriumque

[1] Ezech. XVII, 3. — [2] Ephes. VI, 17. — [3] Iliad. XIV.

concipientes, fortia ringenti frustra rebellantique belluæ pectora opponite. Nihil quidquam ejus oppugnationibus cedite, aut idcirco turbemini, quod ferocientem videatis. Infinitam enim referetis gloriam, si ei victrices abstuleritis septem illas, quas gerit, coronas; de quibus certamen nobis et contentio proposita est, secundum magistrum Paulum. Quæ enim prius vicerit diabolum, et ejus septem capita mortificaverit, septem virtutis coronas adipiscetur, septem magnis perfuncta certaminibus castitatis. Caput enim draconis est intemperantia et luxus : qui hoc caput confregerit, ornabitur corona continentiæ. Caput est ignavus timor animi fracti : qui hoc pede premens eliserit, coronam auferet martyrii. Caput est infidelitas et dementia, aliæque id genus redundantiæ pravitatis : quæ qui confecerit, quæ imposita ipsis elucent diadematum insignia, præmia victoriæ opima auferet, multifarie contusa draconis potentia. Nam etiam septem cornua, et acumina, quæ in suis capitibus draco ferre dictus est, decem pravarum ejus suggestionum articuli, o Virgines, sunt totidem Decalogi præceptis oppositi, per quos arietare ac vehementer impetere solet animas multorum. Primo præcepto quo jubetur, « Diliges Dominum Deum tuum[1], » contraria Sapiens ipse et obtrudere incautis arte mira satagens : et sic aliis consequenter Dei Legibus. Vide enim cornu ipsius acre et inflammatum, fornicationem, quo luxuriosos percutit : vide adulterium, vide mendacium, vide avaritiam, vide furtum, et alia his affinia germanaque, quæ subnascuntur circum illa, homines occidentia capita draconis ; quæ ubi vos adjutore Christo contuderitis, honestabitis vestra floridis coronis capita, quas vobis a Deo impetrabit hæc de diabolo reportata victoria. Nostrum enim est præferre præponereque meliora sequioribus, qui præ terrigenis mentem libe-

[1] Deut. VI, 5.

ram ac arbitrii facultatem nulli obnoxiam necessitati, a Deo nacti simus; ut pleno jure ac arbitrio, quæ libuerit, hæc eligamus, nec fato ulli aut fortunæ faveamus. Proinde nemo sui Dominus bonusque extiterit, nisi qui humano Christi usus exemplo, seque ad illum ut Archetypum effingens ac ipsum imitari studens, vitam composuerit. Omnium sane malorum maximum est illud insitum plerisque, peccatorum causas ad stellarum motus referre, et affirmare vitam nostram fati necessitatibus gubernari. Quemadmodum isti faciunt arrogantissimi siderum contemplatores : unde notitiam futurorum haurire se jactant; suspicionibus vanis indulgentes potius, quam recta securaque prudentia de rebus obscuris probabiliter opinantes (quod quidem licet; est enim inter claram veritatem manifestumque mendacium, medium tolerabile verisimilis opinatio); unde longe a certa veri cognitione decepti aberrarunt. Quare, si permiseris, o Arete, absoluto jam mihi sermone, quem ipsa imperasti, conabor, adjuvante te, novum inchoare, pertexereque alium adversus eos, qui indignantur, cum dicimus liberum, et sui arbitrum hominem esse, mirasque, ut id nobis eripiant, intricant lites. Adversum quos evincam, eos qui peccant et pereunt

Nequitia sibi damna sua mortemque creare [1] :

quippe qui dulcia præ utilibus elegerint.

Arete. Age, permitto quod vis, et certaminis sociamen me tibi offero. Nam hac adjuncta quam spondes disputatione, illustrior, et omnibus absolutior numeris tua evadet oratio.

Thecla. Resumamus igitur de his sermonem, et ante omnia imposturam istorum detegamus, qua se gloriose os-

[1] Odyss. I, 7.

tentant, tanquam soli compertum habeant, qualibus cœlum figuris concinnetur juxta ægyptiacas et chaldaicas hypotheses. Aiunt enim orbem mundi, sphæræ more versatilis, rapidis conversionibus circumagi, terra centri et puncti locum obtinente. Circumactus quippe, inquiunt, cum sphæricus sit, necesse est, servatis semper iisdem intervallis partium, mediam exacte inter omnia terram considere, circa quam ipso seniorem vertitur cœlum. Nam si ex puncto et centro constat sphæræ circumductus, qui utique orbis esse videtur et circulus : cum fieri non possit ut sine puncto circulus describatur, nec circulus esse possit sine puncto; quinam fieri potest, aiunt, ut non omnibus terra prior extiterit, ejusque ipsius chaos et profundum? Plane enim in erroris profundum miseri prolapsi sunt. Quoniam « cum Deum » cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias »egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis : et obscu» ratum est insipiens cor eorum[1]. » Quod et ipsorum, qui ab illis prædicantur Sapientes, testimonio evincitur, nullam in corporibus terrenis antiquitatis, ac per hanc honoris, prærogativam agnoscentibus, qua olympiis, hoc est cœlestibus naturis præstent. Quare agnoscendum est primos omnium cultores Christi, pueriliter ineptire desiisse, Gentilium semper puerorum rejectis irrisisque nugis, fabulis magis figmentisque veritatem, quam arte dicendi obruentium; ac cœlis imputantium hominum calamitates. Neque ipsos pudet terræ ambitum circumscribere geometricis inventis ac figuris, cœlumque simulacris volucrum aquatilium et terrestrium ornari docere belluarum; qualitates quin etiam astrorum ex cladibus infortuniisque priscorum mortalium enatas dicere. Adeo ut ipsi planetarum, ex horum sententia, motus ex hujuscemodi, quæ prius in vita fuerint, corporibus modum originemque trahant. Girare videlicet circa

[1] Rom. I, 21.

signorum duodecim naturam stellas aiunt, rapida Zodiaci tractas circuli vertigine : atque ex horum isto contracta motu temperatione, varia signorum provideri a se quæ plerisque in posterum eventura sunt, nexu quippe fatali cohærentia conjunctionibus, influxibus, ortibus, occasibusve ipsorum. Sphæricæ quippe formæ cœlum esse universum. Ejusmodique sphæræ pro centro, et puncto medio globum esse terræ : quoniam omnes undecumque ab ambitu in terram incidentes lineæ, invicem æquales sint. Unde terram conficiunt a superne ipsam ambientibus possideri regique circulis, quorum meridianus inter maximos emineat. Ab hoc secundus sit, universum item in partes æquales duas partiens, horizon dictus. Tertius hos intersecans, æquinoctialis. Istorum porro hinc inde ad latera tropici duo, æstivus et hybernus : hic a septentrione, ille ab austro. Ad hos pertinet is, qui axis dicitur : circa quem torquentur ursæ, arcticusque circulus, extra quem positus est tropicus. Et ursæ quidem sese mutuo gyro perpetuo sequentes, quasi pondus mole sua primum orbi universo imprimunt, cujus velut gravitate circa polos axemque rotatur. Unde motus universi ursæ potissimum effectrices sunt, altera juxta ilia alterius capita habentes : intactæ æque ambæ a pervadente globum terræ, cui nos insistimus, finitore circulo. Jam zodiacum per omnes se porrigere circulos, eosque amplexu contingere, obliquo late meatu procedentem : esseque in ipso animalium insignes formas, quæ signa duodecim vocantur, ab ariete ducto principio in pisces desinentia, quæ in siderum censum pervenisse narrant fabulosis causis. Nam arietem quidem ipsam illam esse aiunt ejus nominis bestiam, quæ Hellen Athamantis filiam cum Phryxo per Ponti fretum transvexit ad Scythas. Taurum vero cœli honore ac statione dignatum gratia Jovis, cui fidelem navarat operam, deportanda in Cretam Europe. Lacteum quo-

que circulum initium ducentem a nodo Piscium, et hinc sese Arietem versus porrigentem, candorem a Junonis uberibus habere memorant, Jovis imperiis adactæ lac Herculi præbere. Itaque juxta istos, ante Europen, Phryxum, Castoras, aliaque in zodiacum postea ex hominibus ferisve constellata, nulla erat adhuc fatalitas natalis. Et sine fortuna nascendi primi olim progenitores illi nostri vixere. Talis hæc quædam est ineptæ vanæque credulitatis febris, quæ vitam et genus hominum corripuit : cui nos age, velut medici, conemur extinguendæ temperandæve, si qua possumus, idonea conferre medicamenta. Heus vos adeste animis : si erat melius subditos natali necessitate nasci homines, o miseri, quam oriri ab illa liberos : quare non ab ipso protinus initio, cum primum esse homines cœperunt, natalis jam tum fatalitas constituta est? Quod si jam tum erat : quid opus fuit siderari postea, constellarique variis subinde casibus Leonem, Cancrum, Geminos, Virginem, Taurum, Libram, Scorpium, Arietem, Sagittarium, Pisces, Capricornum, Aquarium, Perseum, Cassiopeam, Cepheum, Pegasum, Hydrum, Corvum, Craterem, Lyram, Draconem, et alia ejusmodi, quorum observationibus eruditos plerosque istos artis magistros hujus ponitis didicisse mathematicam istam, aut potius catathematicam prænotionem? Enimvero si primorum ævo mortalium natalis jam erat fatalitas : inutilis hæc fuit animalium in cœlos evectio. Si vero non erat, et secundis Dei curis instituta res hæc est : utique credendum elimare suum opus Creatorem emendareque adjunctione ista voluisse : ac cum primi homines re præclara infeliciter caruerint, meliorem in hoc posterorum sortem consulente ipsis Deo esse factam. Atqui vobis ipsis constat auctoribus, feliciorem a principio fuisse hominum vitam : unde illos apellatis *aureum genus*. Non est igitur natalis fatalitas. Si sol superequitans circulos, et annuis

signa obiens periodis, mutationes efficit conversionesque reducit statas temporum : qui antequam signa mutatis in stellas animalibus conflarentur, iisque ornaretur cœlum, nati jam erant, quo pacto vivere poterant nondum æstate, autumno, hyeme, vere discretis, per quarum tempestatum mutua mixtam successione temperiem, corporum alitur, augetur, coalescitque natura? Atqui non solum vixerunt, sed longæviores robustioresque durarunt quam qui nunc vivimus : simili videlicet tunc quoque tempestatum vice divinæ nutu Providentiæ mundum vegetante. Non igitur per fortuitos casus diverso tempore, subvectis in cœlum animalibus auctus terræ coloniis æther est, et fabulosis figuris variegatus. Si sol, luna, cæteraque sidera distinguendis servandisque numeris temporum, ornandoque cœlo ac vicibus tempestatum inducendis, facta, divina sunt, et naturæ humana præstantioris : necessario consequens inde fit, meliorem ipsa quam hæc nostra est, nempe beatam, tranquillam, justitia virtuteque supra humanum morem compositam vitam degere; cujus indicium sit ordinatissimorum æterna, et felix constantia motuum. Si vero mortalium infelices casus, insana consilia, fœda facinora, machinantur ipsa, operanturque vehementissimis ad ea, et ineluctabilibus adigentia impulsibus; si flagitiis turpissimis, si mutationibus morum et vitæ tragicis attendunt; si studio vique addita mala mundi urgent et perpetrant : utique jam nequiora et miserabiliora ipsis hominibus sint : quippe in terrenam humilitatem cœleste fastigium deprimentia, ultro in vilibus nefariisque occupata factis : neque omnino quidquam cur hominibus præferantur habentia, si ab eorum influxu et motu nostra vita pendet. Si nullum sine prævio cupiditatis impulsu fit opus; neque cupiditas absque indigentiæ irritamento concipitur, indigentiæ porro sit expers id quod divinum est : idem necessario incapax fuerit

consciscendæ perpetrandæque pravitatis. Si rursus astrorum natura divinæ affinis admotaque est, eminens perfectione supra perfectiores hominum : innocens utique inconsciaque malitiæ, uti et egestatis incapax cœlestium luminum natio fuerit. Idem proponamus aliter. Quivis ex iis qui sibi persuaserunt solem, lunam et stellas, divinas esse res, assentietur profecto nobis longe ipsas a malitia disjunctas abhorrere, a dedecore pravarum actionum, quarum ortus e terra est, cujus a contagione astra remotissima, nec voluptatis, nec doloris, attingi perturbationibus queunt : neque enim inesse cœlestibus pudenda hæc, et abominabilia vitia fœdarum cupiditatum. Si autem horum expertia, nulliusque sunt indiga : quomodo hominibus ea inspirant, quæ ipsa non cogitant, quæ non probant, quæ oderunt, a quibus longissime abhorrent? cur illa, inquam, ipsa insuperabilibus decretis, invictis impulsibus ingerunt obtruduntque hominibus? Plane qui definiunt hominem non esse sui libere potentem, et inevitabili necessitate fati, ac non scriptis, impressis legum æternarum jussis ferri, agique ineluctabili fatalitate docent humanam vitam, in ipsum impie se gerunt Deum, quem sic inducunt auctorem affectoremque peccatorum humanorum. Si enim astrorum universum circularem motum modulate Deus ipse ineffabili sapientia, et inexcogitabili dispensat, clavum universi rectissime gubernans : astra vero qualitates necessario effectrices malitiæ, virtutisque influunt in vitam, necessitatis adamantinis vinculis homines in ista tracturas : auctorem utrique et tributorem malorum profitentur Deum. Atqui omnium sensu judicioque prorsus innocens omnis culpæ Deus est. Explodatur ergo natalis fatalitas. Quicumque vel minimâ est aspersus sensus boni particula, fatebitur statim Numen divinum bonum, justum, sapiens, verum, ad juvandum pronum,

alienum a procurandis malis, non implicitum vitiosis affectibus esse; aliaque talia ipsi attributa convenire. Jam si et justi meliores injustis sunt, iisque invisa est injustitia; et justitia Deus, quippe qui justus sit, gaudet: odiosa profecto ipsi est injustitia, quæ justitiæ contraria et infensa est: non est igitur auctor injustitiæ Deus. Si quod semper ad omnia prodest, bonum est, prodest autem castitas et domo et vitæ et amicis: bona utique est castitas. Quod si natura bona est castitas, castitati vero luxuria contraria: id autem est malum, quod bono contrarium est: sequitur malam esse luxuriam. Quod si luxuria natura mala est, per eam autem fiunt adulteria, furta, jurgia, cædes: naturaliter ergo mala est vita luxuriosa. Divinum porro numen malis implicitum non est. Explodatur ergo fatalitas natalis. Si casti meliores sunt luxuriosis, iisque abominabilis est luxuria: delectatur vero Deus castitate, ipse inconscius flagitiorum: exosa utique Deo nequitia est. Porro actionem quæ ex præscripto castitatis sit, quæ certe virtus est, potiorem esse illa, quæ luxuriæ impulsu perpetratur, sine dubitatione pertinente ad vitium, intelligere licet ex regibus, ex magistratibus politicis et militaribus, ex mulieribus, ex filiis, ex civibus, ex patribus familias, ex servis, ex pædagogis, ex magistris: unusquisque enim horum et sibi, et publico utilis est si castus sit: sin luxuriosus, tam sibi quam publico noxius. Etenim si discrimen est cynædorum et generosorum; petulantium et castorum: et est melior generosorum et castorum natio, quam aliorum ipsis oppositorum secta: si etiam qui partis melioris affines sunt, Deo placent, ejusdem amicitia beantur; qui vero ad sequiorem pertinent, longe a Deo distant, infensi ei, vicissimque infensum habentes eum, qui dicunt fatalitate natali perinde injustitiam atque justitiam affiari, non distinguunt cynædorum mollitiem a magnanimitate, a castitate luxuriam: quæ in unum conflari

arte nulla queunt. Si enim malo bonum contrarium est, injustum autem malum : et hoc justo contrarium : porro quod justum, idem bonum : bonum autem inimicum malo : dissimile vero malum bono : aliud omnino erit longeque diversum justum ab injusto : non igitur auctor malorum Deus : nec gaudet malis, eosve approbat Verbum naturali, et originali bonitate præditum. Quod si quidem mali sunt, errore ac defectu mentis proprio, non natali fatalitate mali sunt,

Nequitiis sibi damna suis mortemque creantes [1],

si hominem interficere, et cæde manus cruentare natalis fatalitas subigit, idem autem lex vetat, supplicia sicariis decernens, minisque gravibus deterrens ab iis quæ natalis fatalitas injungit; puta ab injuria inferenda, ab adulterando, a furando, a veneficio exercendo; contraria ergo inter seque commissa sunt natalis fatalitas et lex. Quæcumque enim lex prohibet, natalis fatalitas facere adigit; adversaria ergo natali fatalitati lex. Si autem adversaria, non igitur per natalem fatalitatem legumlatores agunt : quippe qui contraria fatalitati sanciant, et eam quantum in ipsis est destruant. Aut igitur natalis admittitur fatalitas; et tunc non oportet leges esse : aut leges sunt, et non sunt ex natali fatalitate. Sed ut isti volunt, nequit fieri, ut quis sine natali fatalitate nascatur, aut operetur quippiam. Neque enim vel digitum posse aiunt sine imperio fati movere quemquam. Igitur sub natali fatalitate orti Minos, Dracon, Lycurgus, Solon, Zaleucus legumlatores sanxerunt leges prohibentes adulteria, cædes, insultus injustos, rapinas, furta, haud dubie arbitrati, neque esse neque fieri talia per natalem fatalitatem. Quod si hæc per fatalitatem natalem, profecto per fatalitatem natalem leges non erunt. Neque enim ipsa seipsam natalis fata-

[1] Odyss. I, 7.

litas destrueret, ipsa sibi ipsi autoritatem detraheret, ipsa secum pugnaret : hinc quidem leges statuens adulteria cædesque prohibentes; et ulciscens malisque mactans talium criminum reos : aliunde autem ad cædes atque ad adulteria homines adigens, quod fieri nullo pacto potest. Nihil enim a seipso alienum est : nihil unum idemque infensum sibi ipsi, sese ipsum destruens, a seipso dissentaneum. Nulla est igitur natalis fatalitas. Si secundum natalem fatalitatem fit omne quodcumque est, et sine illa omnino nihil existit, legem ipsam necesse est per natalem fatalitatem existere. Sed lex natalem fatalitatem tollit, suaderi addiscique posse virtutem docens; et diligentia eam attentioneque comparari, fugiendam vero malitiam dictans, quæ ex errore mentis stultitiaque oriatur : nulla ergo est natalis fatalitas. Si mutuo injurias inferri, et ab invicem injurias perpeti, natalis fatalitas subigit : quæ utilitas legum? Si enim quis dicat leges inventas ad ultionem peccantium, Deo consulente infirmis injuriam patientibus; reponetur illi : longe futurum fuisse melius, non adigere fatali necessitate ad malitiam malos, quam postquam hoc factum est legum adhibere medicinam. Atqui bonus et sapiens, beneque et ad melius cuncta operans Deus est. Nulla ergo fatalitas natalis. Aut educationes et mores peccatorum causæ sunt, aut perturbationes animæ, et cupiditates sensibus irritatæ corporis. Quidquid autem horum peccati causa sit, iis quibus causa est, certe Deus auctor ac causa minime sit. Si melius est justum esse quam injustum, quare talis ab ipso protinus principio non nascitur homo? Si vero dicas, deinde, ut melior fiat, corrigi præceptis et legibus : profecto ut sui potens liberque iis cogitur et castigatur, non velut qui a natura sit malus : aliter enim non posset corrigi. Si mali fatali necessitate nascuntur mali, providentiæ ineluctabili decreto, non sunt reprehensibiles, nec suppliciis digni quæ decernunt

leges : quippe qui vivant juxta propriam naturam, nec mutare seipsos possint. Rursus : si boni juxta propriam naturam viventes sunt laudabiles, cum fatalitas natalis ipsos inevitabiliter efficiat bonos : ne mali quidem juxta propriam ad malum determinatam agentes, culpandi erunt ab æquo judice. Etenim, si clare loquendum est, quicumque juxta qualemcumque ipsi congenitam et penitus insitam naturam vivit, in eo quidem expers peccati est. Non enim seipsum talem fecit, sed fatum, cujus invicto impulsui necessario sic agens obsequitur, vinculis adamantinis, irrevocabiliter tractus. Nemo igitur malus est. Atqui sunt multi mali. Et malitia quidem odio digna est, Deoque inimica, ut superius evici : virtus vero amabilis et laudanda, cum Deus legem ordinaverit ultricem malorum. Non igitur est fatum. Quid ego autem intendendis stringentium elenchorum machinis, quasi ad tormentis exprimendam manifestæ confessionem veritatis diutius immoror? cum ad morum compositionem utiliora audituque jucundiora exposuerim, et artis vanissimæ dissensionem a seipsa nemini non manifestam, quamvis paucis ex capitibus fecerim : ut jam errorem istorum plane sentire ac perspicere vel pueri possint : intelligereque, in nostra omnino libera potestate situm esse, bonum efficere aut malum, non autem in stellis. Duo quippe motus in nobis sunt, uterque concupiscentia vocati, altera carnis, altera spiritus. Hæ contrariæ invicem sunt : unde et nominibus discriminantur, virtutis, vitiique. Oportet autem pulcherrimæ et aureæ obtemperare institutioni virtutis, optima præ deterioribus eligendo. Sed de his jam satis. Tenebo enim me ne plura dicam, verecundia quadam, ne hactenus habitos de virginitate sermones, hac parum congruente nugarum commemoratione contaminem. Et pudet certe mentes audientium affigere cognitioni stultissimarum opinionum, in quibus isti ridendo tumore turgidi siderum

natalium contemplatores totum vitæ tempus misere perdunt, fabulosis unice attendentes ineptisque figmentis. Hæc tibi et a nobis, o domina Arete, ex divinis contexta sermonibus en hic sistantur dona.

Eubulium. Quam pugnaciter, o Gregorium, quamque magnifice disputavit Thecla!

Gregorium. Quid si dicenti præsens ipsi operam dedisses, hausissesque auribus flumen aureum facundissimi sermonis beata copia, facili volubilitate linguæ, incredibili gratia voluptateque audientium sese fundentis: ut admirationi attendentibus esset, tum splendor omni ornatu efflorescentis dictionis; tum sensuum e mentis arcano prodeuntium raritas dignitasque; tum pompa ipsa tota, et quasi choragium incedentis eloquentiæ, speciose omnia magnificeque figurantis. Incendebat gratiam pronunciationis decor orisque verecundia, suave rubentis contentione ipsa nisuque dicendi: cum alioqui tota esset natura candida tam corpore quam animo.

Eubulium. Recte hæc et vere loqueris, Gregorium; novi enim ex cæteris heroicis actis illius sapientiam; et quæ qualiaque agere dicereque illi illustria contigerit, excellentis semper in Christum caritatis documenta edenti luculentissima: utque decus una multiplicis martyrii sæpius iteratis ingentium certaminum claris victoriis gloriose tulerit, in quibus et magnanimitas aggrediendi, et ardor rem gerendi, paria fuerunt: magnitudinique consiliorum, et mentis ex æquo semper respondit firmitas roburque corporis.

Gregorium. Verissima et tu narras: sed ne his immoremur. Nam de talibus et alias sæpe, cum libebit, agere inter nos poterimus. Nunc ante omnia reddere me tibi, quos promisi opus est reliquarum quoque Virginum sermones: nimirum Tysianæ Domninæque; hæ siquidem restant solæ. Ut

igitur finem dicendi Thecla fecit, iis tam multis quæ recitavi peroratis, referebat Theopatra imperasse Areten Tysianæ, ut locum orandi caperet : hanc vero arridentem, ante ipsam progressam, dixisse.

TYSIANA.

ORATIO NONA.

O Arete amabilissima, Virginitatis amatoribus pulchritudo, et auxilium imploro tuum, ad id perficiendum quod jubes : ne mihi quod dicam desit, exhausto tot tamque copiosis aliarum orationibus argumento quod tractamus. Quare in proœmiis insinuationibusque sermonis tempus equidem operamque non perdam : verita, ne si quam res ipsæ attentionem requirunt, in adornandis exordiis consumpsero, quod præcipuum est elabatur mihi, accessoria supervacanee captanti. Adeo enim gloriosam rem, pretiosam etiam et magnificam Virginitatem duco, ut totam in se nostram, omnibus omissis, vertere attentionem et contemplationem debeat. Deus cum celebrandæ tabernaculorum festivitatis veris Israelitis legitimum in Levitico ritum præscriberet, præcipue unumquemque jubet proprium tabernaculum exornare castitate. Apponam ipsa Scripturæ verba, ex quibus sine ulla dubitatione demonstrabitur, quam Deo grata acceptaque sit nostra hæc professio Virginitatis. « Quinte-» decimo die mensis septimi, quando consummaveritis geni-» mina terræ, festum celebrabitis Domino septem diebus : et » die octavo erit requies. Et sumetis die primo fructum ligni

» speciosum, et spatulas palmarum, et ramos ligni densos, » et salices, et ramos agni de torrente, ad lætandum coram » Domino Deo vestro septem diebus anni : legitimum sem- » piternum in progenies vestras. Mense septimo celebrabitis » solemnitatem istam : in tabernaculis habitabitis septem die- » bus. Omnis indigena in Israel habitabit in tabernaculis : » ut sciant progenies vestræ, quod in tabernaculis habitare » feci filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti. Ego » Dominus Deus vester[1]. » Omnino existimabunt Judæi, circa nudam Scripturæ volitantes litteram, sicut qui vocantur fuci circumvolitant olerum folia, non, ut apis, flores ac fructus, hæc verba, hasque præscriptiones de tabernaculo locutas tale, quale ipsi architectantur; quasi Deus delectetur exilibus istis ornamentis frondium ramorumque, qualia isti concinnant, non intelligentes divitias futurorum bonorum; et ista nihil esse nisi auram umbrasque speciosas, prænuntiantes resurrectionem, et erectionem stabilem lapsi prius in terram nostri tabernaculi : quod septimo demum millenario annorum rursus immortale resumentes, celebramus magnam solemnitatem veræ Scenopegiæ in novo, et doloris experte mundo, consummatis collectisque terræ fructibus, nemine hominum amplius aut gignente aut genito, sed ab opere universo creationis mundi Deo jam plene feriante. Quoniam enim sex diebus perfecit Deus cœlum et terram, et consummavit totum mundum, et quievit die septimo ab operibus suis quæ fecit, et benedixit diei septimæ, et sanctificavit eam inde symbolice mense septimo, quando jam consummati collectique sunt fructus terræ, ferias agere jubemur Domino. Quod si ex figura in rem interpretemur, designat, quando mundus hic consummatus fuerit septimo millenario annorum, quando vere Deus consummato mundi opere lætabitur super nos. Nunc autem cum maxime adhuc

[1] Levit. xxiii, 39.

omnia creantur, perseverante voluntatis illa creatricis efficacia prima, et per ejus inexcogitabilem vim producente hucusque terra fructus, et aquis in sua se conceptacula, et paratos alveos recipientibus : lucis quoque divisione a tenebris hactenus durante : numeroque statuto hominum nondum expleto, sed aliis aliisque quotidie ad summam definitam absolvendam subnascentibus : sole quoque diei principium, et luna nocti, ortu suo dantibus : e terra quoque prodeuntibus quadrupedibus, bestiis, reptilibus, volucribus autem et natatilibus ex humida substantia : tunc vero cum consummata fuerint statuta tempora, et cessaverit Deus a continua actione illa, qua semper hucusque, ut diximus, hunc mundum creat, septimo mense magna resurrectionis die, festum celebratur Domino Scenopegiæ nostræ, cujus, quæ in Levitico dicuntur, symbola et figuræ sunt : quæ cum investigaverimus, veritatem intelligemus nudam. « Hæc »enim, *inquit*, audiens sapiens sapientior erit, intelligetque »parabolam et obscurum sermonem, dicta quoque sapien»tum et enigmata[1]. » Quare pudeat Judæos, quod profundos Scripturarum sensus non penetrant, existimantes Legem et Prophetas nihil nisi corporalia loqui : utpote ipsi rerum tantum mundanarum cupiditate capti, et exteriores divitias interiori thesauro præferentes. Nam cum Scripturæ divinæ aliæ præteritorum figuram exhibeant, aliæ futurorum, infelices isti figuras futurorum pro figuris præteritorum habent. Puta in immolatione Agni, cujus mysterium in sola recordatione liberationis Patrum suorum ex Ægypto constituunt : tunc facta quando percussis primogenitis Ægypti, servati sunt ipsi, superliminaribus domorum suarum sanguine rubricatis. Neque intelligunt, eo etiam præsignari necem Christi, cujus sanguine consignatæ animæ, dum consumetur ultimo incendio genus humanum, et primogeniti hu-

[1] Prov. 1, 5.

jus sæculi filii supremo exitio perdentur, servabuntur ab ira Satanæ, ultoribus Angelis reverituris divini sanguinis impressum ipsis sigillum. Et hæc exempli causa memorata sunto ad demonstrandum Judæos, idcirco quod res quas tractant figuras solum esse putant rerum jam factarum, spe futurorum bonorum excidisse; nec figuras imaginum, nec imagines ipsas agnoscere volentes, ut prænuntiatrices eventuræ veritatis [1]. Nam Lex quidem imaginis est fixura et umbra, hoc est Evangelii : ipsum vero Evangelium, imago veritatis. Etenim antiquiores, et Lex, futura prophetantes, prænuntiaverunt nobis Ecclesiæ characteres : Ecclesia vero ipsa characteres novorum sæculorum. Unde nos Christo assentientes dicenti, *Ego sum veritas* [2], umbras quidem et figuras scimus desiisse : ad veritatem autem festinamus, illustres ipsius imagines prænuntiantes. Ex parte enim adhuc, et velut per speculum cognoscimus [3], quoniam nondum ad nos quod perfectum est, regnum nempe cœlorum et resurrectio, quando destruetur quod ex parte est. Tunc enim tabernacula figuntur omnium nostrum, quando iterum, agglutinatis et compactis cum carne ossibus, resurgit corpus. Tunc diem gaudii festam celebramus Domino sincere, quando tabernacula æterna receperimus, non amplius moritura aut dissolvenda in pulverem tumuli [4]. Erat enim nostrum prius immobili fixum statu tabernaculum : sed per transgressionem motum, et in terram inclinatum est : Deo peccatum eluente per mortem, ne immortaliter peccator perseverans homo, æternum in maledictione perduraret. Propterea mortuus est, cum natus non esset mortalis aut corruptibilis, et secreta est a carne anima, ut interiret per mortem peccatum, non amplius vivere valens in subjecto mortuo. Unde mortuo peccato et corrupto, rursus immortalis resurgo, et laudo Deum, qui per mortem filios suos a

[1] Hebr. x, 1. — [2] Joan. xiv, 16. — [3] 1 Cor. xiii, 12. — [4] Dan. xii, 2.

morte servaverit : et legitime festum celebro in ejus hono rem, ornans tabernaculum meum [carnem meam] operibus bonis, ut et illic Virgines plene lucentibus lampadibus : examinata in prima resurrectionis die, an feram ea quæ imperata sunt : an exornata sim virtutis fructibus : an ramis castitatis obumbrer. Reputa enim resurrectionem, tabernaculi erectionem esse. Reputa quæ in compositionem assumuntur tabernaculi, operationes esse justitiæ. Sumo igitur die prima quæ præscripta sunt : ut pote die qua judicor, an tabernaculum ornaverim meum iis quæ sunt ad id præscripta : an reperiantur ea in ipso quæ hic in mundo acquisivisse jubemur, ibi autem offerre Deo. Agite enim, Scripturam hanc considerare pergamus. « Sumite, *inquit*, vobis » prima die fructum ligni speciosum et ramos ligni densos, » et salicis ramos de torrente ad lætandum coram Domino » Deo vestro [1]. » Fructum ligni pulcherrimum corde incircumcisi Judæi propter magnitudinem citrum putant esse : neque ipsos pudet dicere citro Deum honorari : cui ne omnia quidem quadrupedia terræ in holocaustum ipso dignum suffecerint, aut thus in incensum. Quod si, o capita indomitæ pervicaciæ, omnino vobis videtur citrus pulcher; quidni et uva potius pulchra? quidni et malum granatum cæterique arborum fructus et poma multo citro præstantiora. Sane in Cantico Canticorum Salomon, horum omnium pulchrorum fructuum mentione facta [2], unum duntaxat malum citrium silentio præteriit. Sed hoc imprudenter decepit, quod non intellexerint dignum vitæ, quod prius paradisus ferebat, nunc omnibus regerminavit Ecclesia, pulchrum et decorum faciens fidei fructum, lignum illic vocari arboris pulcherrimæ [3]. Talem fructum ad tribunal accedentes Christi, prima resurrectionis die, afferre nos oportet : quem si non habuerimus, non poterimus feriari cum Deo, nec partem habe-

[1] Levit. XXIII, 40. — [2] Cant. IV, 13. — [3] Genes. II, 9.

bimus, secundum Joannem, in resurrectione prima[1]. « Li-»gnum *enim* vitæ est iis qui apprehenderint eam, *ait Pro-»pheta*, et eis qui innituntur super ipsam quasi super Do-»minum, secura[2].» Lignum est « plantatum secus decursus »aquarum : quod fructum suum dabit in tempore suo[3]. » Nempe doctrina et caritas et prudentia in ipso sunt, et hæc omnia cum ipso dantur in tempore opportuno, ad aquas redemptionis accedentibus. Qui non credidit Christo, neque ipsum esse principium, et lignum vitæ sensit, non habens ostendere Deo tabernaculum suum ornatum speciosissimo pulchrorum fructuum, quomodo feriabitur? quomodo lætabitur? Vis nosse pulchrum fructum ligni? considera sermones Domini nostri Jesu Christi, ut sunt speciosi forma præ filiis hominum[4]. Pulcher fructus germinavit per Moysen Lex : sed non tam pulcher erat, quam est Evangelium. Lex enim figura quædam erat, et umbra futurarum rerum : Evangelium vero veritas est, et vitæ gratia. Pulcher erat fructus prophetarum : sed non ita pulcher, ut qui ex ipso legitur, incorruptionis. « Et sumetis vobis prima die fructum »ligni speciosum spatulasque palmarum[5] : » eo significans exercitationem divinarum disciplinarum, quibus purgatur et ornatur anima vincens vitia, evulsis ejectisque ex ipsa peccatis. Oportet enim puros et ornatos venire ad festum, tanquam mangonio quodam, religiosis operibus et exercitiis virtutis luculenter expolitos. Nam laboriosis id genus exercitationibus dum purgatur mens ab illi nebulas offundentibus alienis cogitationibus, acute cernit veritatem. Quemadmodum vidua in Evangelio, quadrantem invenit postquam everrit domum, et sordes ejecit[6], nimirum vitia obscurantia, et obturantia oculum animæ, quæ per nostram mollitiem, et incuriam multiplicantur. Qui ergo cupit in

[1] Apoc. xx, 6. — [2] Proverb. III, 18. — [3] Psalm. I, 3. — [4] Id. XLIV, 5. — [5] Levit. XXIII, 40. — [6] Matth. XII, 42.

festum tabernaculorum illorum occurrere, et Sanctorum incensum referri, primum fidem sibi comparet significatam nomine ac symbolo pulchri fructus, deinde spatulas, videlicet meditationem attentam, exercitationemque Scripturarum : postea frondentes ac densos charitatis ramos, quos post spatulas jubet sumi, ramos densos aptissime caritatem vocans. Quod enim dense viret, fere idem copiose fructuosum totumque frugiferum est, nihil exile exuccumve habens, sed omnia plena, et surculos et truncos. Talis est caritas : nulla parte vacua, vel infructuosa. Vere enim « si » vendidero omnes facultates meas, et distribuero in cibos » pauperum : et si corpus meum igni tradidero, et si tantam » fidem habeam, ut montes transferam, caritatem vero non » habeam; nihil sum[1]. » Igitur caritas densissima fructuosissimaque omnium arbor est, referta et redundans gratiis. Deinde quid sumi vult aliud? ramos salicum, ait, isto symbolo justitiam indicans, idcirco quod justi apud Prophetam « sicut gramen in solo irriguo germinant, et ut salix super » præterfluentem aquam[2] » florentes verbo. Supra omnes vero ramos exornantes tabernaculum, frondes jubet afferre salicum, quoniam Græcum hujus arboris nomen cum vocabulo castitatis congruit[3]. Castitate autem additur quasi cumulus pulchritudinis, modo enumeratis ornamentis. Eant jam lascivi per suas voluptates rejicientes castitatem. Quomodo enim in festum cum Christo convenient, qui non ornaverint suum tabernaculum ramis deificæ beatæque arboris castitatis : qua omnes festinantes ad illam celebritatem, ac nuptiale convivium succingi oportet, et obumbrare lumbos suos. Agite enim, pulchræ Virgines, Scripturam ipsam et mandata considerate; videbitis ad complementum prædictorum officiorum atque operum, assumi a Verbo castitatem : quo facto docet quantum ea deceat resurrectionem,

[1] 1 Cor. XIII, 3. — [2] Isai. XLIV, 4. — [3] Ἅγνος. Ἁγνεία.

quamque ad illam expetibilis sit; et sine ipsa neminem fieri compotem posse promissionum : quam eximie colimus nos Virginitatem profitentes, et offerimus Domino. Utuntur quoque illa qui cum suis uxoribus caste vivunt, et velut circa truncum humiles ejus carpunt surculos conjugalis continentiæ, ad superiores excelsosque ramos illius, ne contingendos quidem, nedum legendos ac decerpendos, quod nos facimus, conantes aut valentes assurgere. Tametsi minutas offerunt nihilominus et ipsi castitatis frondes. At libidinosi effuso impetu indulgentes lasciviæ, etiamsi non fornicentur, sed licitis quidem legitimæ uxoris, sed indomitæ concupiscentiæ furore effræni, complexibus fruantur : quomodo feriabuntur? quomodo lætabuntur? qui tabernaculum suum [carnem suam] ramis salicis, hoc est cultu castitatis non ornaverint : neque audierint monentem, « ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint [1]. » Propterea ab omnibus (præsertim iis, qui splendida certamina contendunt, quique ingenti sunt animo præditi) aio debere castitatem, ne quid exaggeratius dicam, saltem honorari tanquam utilissimam et gloriosam. In novo enim et doloris experte mundo, qui castitatis non repertus fuerit ramis ornatus, non consequetur requiem, ut pote qui non impleverit mandatum Dei juxta Legem. Neque ad terram perveniet promissionis, quippe qui prius non celebraverit festum Tabernaculorum. Illi siquidem soli, qui Scenopegiam celebraverint, in sanctam appellunt terram, versus eam solventes ex tabernaculis, sic dictis : solventes autem spe ac proposito veniendi ad templum et civitatem Dei, in majorem videlicet et gloriosiorem proficientes gratiam, sicut figuræ indicant, quæ prius in Judæis præcesserunt. Quemadmodum enim egressi ex finibus illis Ægypti, longam emensi viam, pervenerunt primum in Tabernacula [2]; et hinc rursus disce-

[1] Cor. VII, 29. — [2] Num. III, 5. (*Seu* « in Soccoth. »)

dentes, venerunt in terram promissionis : ita et nos. Iter enim hinc emensa magnum, et egressa ego quoque de Ægypto hujus vitæ, venio primum ad resurrectionem, veram Scenopegiam : et ibi fructibus virtutis extructo tabernaculo meo, et speciose ornato, prima festi resurrectionis die, quæ dies est judicii, simul celebro cum Christo millenarium annorum requiei (4), quæ septem memoratorum in Lege dierum, sabbatorumque totidem verorum mentione adumbratur. Inde rursus sequens penetrantem cœlos Jesum venio, ut illi post requiem Scenopegiæ, in terram promissionis [cœlos], in tabernaculis non permanens : hoc est corpore meo non remanente tali, quale prius erat; sed post mille annorum spatium mutato ex statu et habitu humano ac corruptionis, in angelicam magnitudinem et pulchritudinem [1]. Hinc porro a loco tabernaculi admirabilis nos Virgines, post consummatum resurrectionis festum in majora et meliora transimus, in domum ipsam ascendentes supercœlestem Dei, in voce exultationis, et confessionis soni epulantis, sicut ait Psalmista [2].

Hoc et ego Domnina tibi, Arete, qualicumque elaboratum facultate pro munere peplum affero.

Eubulium. Multum, o Gregorium, æstuo apud me, reputans mecum in quanto tumultu mentis fuisse ista sermonum vice Domninam oportuerit, jure metuentem ne sibi oratio deesset, omnibus aliarum ingenio præoccupatis; ac necesse ipsi foret exilius jam aliquid, et ab aliarum ante locutarum magnificentia degenerans afferre; utpote in argumento jam exhausto, ipsa post uberes et otiosas tot Virginum messes serum demum, et miserum spicilegium faciente. Si ergo non dissimulavit talem hunc animi sui motum, age et istud quoque transige. Miror enim si quid habuerit quod diceret, ultimum sortita disserendi locum.

[1] Psalm. XLI, 5. — [2] Ibid.

Gregorium. Turbatam sane ipsam majorem in modum, o Eubulium, dixit mihi Theopatra : non tamen laborasse penuria sermonum. In eam ergo postquam Tysiana finem fecit, injecto Arete oculo : Age tu quoque, ait, filia, sermonem redde, ut convivium omni ex parte absolvamus. His erubescens Domnina vix post longam moram annuit: et exurgens ad orandum se vertit, invocans imploransque auxilium præsens Sapientiæ. Qua oratione ipsi perfunctæ, aiebat innasci subito visam audaciam novam, et divinam quamdam incidere fiduciam : quam hæc dicendo testata est.

DOMNINA.

ORATIO DECIMA.

O Arete, omissis et ego ambagibus exordiorum, protinus de re ipsa conabor agere pro viribus : ne iis immorando quæ extra rem sunt, conjiciam me in necessitatem producendæ ultra modum orationis. Numero enim in magna prudentiæ parte, non indulgere mulcentibus inaniter aures verbis, diffundique dicendo, antequam ad caput ipsum quæsiti veniatur; sed ex ipso statim puncto quæstionis incipere. Hinc igitur ordior : tempus est enim. Nihil tam prodesse homini ad decus, o illustres Virgines, poterit, quam Virginitas. Nam ut optime laudatissimeque gubernetur anima, utque a maculis atque inquinamentis pura, solvatur mundi vinculis sola præstat efficitque. Ex quo siquidem Christus nos docuit ipsam profiteri, et indicavit nobis excellentissimam ejus pulchritudinem, regnum diaboli destructum est,

cum prius universum hominum genus captivum traderet et addiceret. Adeo ut nullus antiquorum Domino placuerit, sed omnes in offensiones incurrerint (5), lege non valde sufficiente ad liberandum a corruptione genus humanum, donec virginitas Legi succedens Christi auspiciis, regnum super homines inivit. Neque vero primi hominum adeo in pugnas, in cædes, in amores, in idololatrias, præcipites sæpius incurrissent : si justitia quæ ex legibus erat, sufficiens eis fuisset ad salutem. Nunc videmus, illo maxime legis tempore multis ipsos plerumque magnisque immixtos miseriis fuisse : ex quo vero Christus incarnatus est, et virginitate ornatam carnem armavit, crudelis ille tyrannus, princeps nequitiæ sublatus est, et pax fidesque dominatur, hominibus non jam ut ante in idololatriam pronis. Sed ne cui videar, sophistica grassari arte, levibusque innixa conjecturis vana venditare pro solidis : ex veteri vobis, o Virgines, et ego Testamento scriptam prophetiam in dubitatum veritatis meæ testimonium afferam ex libro Judicum, ubi clare virginitatis regnum olim futurum prænuntiabatur tanto ante. Ait videlicet ibi Scriptura. « Enuntiaverunt ligna ut un-» gerent super se regem, dixeruntque olivæ : Regna super » nos. Et dixit eis oliva : Nunquid derelinquens pinguedi-» nem meam, quam glorificavit Deus et homines, ibo ut » imperem lignis? Dixeruntque ligna omnia ficui : Veni, » regna super nos. Et dixit eis ficus : Nunquid derelinquens » dulcedinem meam, et genimen meum bonum, ibo ut » imperem lignis? Et dixerunt ligna ad vitem : Regna super » nos. Et dixit eis vitis : Nunquid derelinquens vinum » meum, quod est lætitia hominum, ibo ut imperem lignis? » Dixeruntque ligna rhamno : Veni regna super nos. Et » dixit rhamnus ad ligna : Si in veritate ungitis me in re-» gem super vos, venite, confidite in protectione mea. Sin » minus, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros

» Libani[1]. » Hæc quidem de arboribus ex terra ortis non esse dicta, manifestum est. Non enim convenire in concilium plantæ potuerunt, suis quæque per alte immissas affixæ radices locis; aut inire deliberationem, conferreve suffragium de constituendo rege, sensu ac mente cassæ valuerunt res. Omnino sub allegorica imagine arborum, de animabus hæc dicuntur, quæ ante incarnationem Christi, luxuriatæ transgressionibus, accedunt ad Deum supplices, eumque rogant ut sui misereatur, et misericordia benignitasque regnet : hanc enim sub olivæ symbolo Scriptura designavit : idcirco quod oleum multum prosit corporibus, ægritudinum remedium, laborumque solatium sit, lucem denique præcipuum vitæ subministret bonum. Oleo siquidem plerumque alitur flamma lampadum humanis usibus servientium. Omnes autem misericordiæ Dei, mortis peccatorumque remedia sunt, et solatia opportuna præbent humanæ infirmitati, alimentaque sufficiunt luci cordis. Et considerate num forte omnes quæ sibi ab homine primo ad Christum ordine sibi leges successerunt, Scriptura in his designare voluerit : quas totidem præstigiarum suarum figmentis æmulari, oppugnareque curavit diabolus, tentans in iis humanum genus. Ac ficum quidem videtur Scriptura comparare mandato, quod in paradiso datum est homini : nam et nuditatem ille deceptus, et deprehensus, suam foliis ficus contexit. Vitem autem referre ad præceptum, quod post diluvium Noë datum est : cum is sopitus et indecore jacens, inexperta vi gustati vini, a filio sit irrisus. Oliva deinde significat mosaïcam latam in deserto Legem : eo quod gratia prophetica, quæ tunc communicari elucescereque plenius filiis Israel cœpit, olei sancti designata symbolo sit, aliquando in ipsorum hæreditate, velut in lampade, defecturi. Denique rhamnum non inepte refert

[1] Jud. IX, 8.

ad eam Legem, quæ Apostolis ad mundi salutem data est : quia per illorum institutionem Virginitatem didicimus : cujus solius fallacem æmulari fingereque diabolus, quæ pro vera falleret, imaginem non potuit. Propterea Evangelia quatuor tradita sunt, nuntiorum a Deo missorum ad homines post orbem conditum numerum adæquantia. Quatuor enim diverso tempore promulgatis legibus erudire Deus homines voluit; quarum uniuscujusque propria tempora suis characteribus insigniuntur, per differentias fructuum, ex iis culturis productorum. Etenim ficus, mite ac præ cæteris dulce delicatumque pomum, delicias paradisi voluptariæque, in qua homo ante lapsum fuit, felicitatem vitæ apte indicat. Sane non raro, ut postea demonstrabimus, ficus fructum Spiritus sanctus, ad rei melioris indicationem refert. Vitis autem propter hilaritatem vini, et lætitiam primum ipsam expertorum, eorum nimirum qui se ab ira Dei servatos, et naufragio mundi superstites post diluvium gratulati sunt (quæ lætitia timori curisque succedebat), transitum, qualis ipsorum fuit, in securum gaudium adumbrat. Oliva porro propter olei, quod producit, naturam, Dei misericordiam significat eam, qua iterum a diluvio patienter sustinuit improbitatem hominum in sui contemptum et ignorationem aversorum, dando nihilominus legem, et ostendendo se manifestius quibusdam, ac quasi sensim deficientem virtutis humanæ lampadem, infuso subinde oleo, ut non penitus extingueretur, sed semper luceret, fecit. Rhamnus autem alio græco nomine ἄγνος, *agnus*, hoc est *casta*, dicitur, promiscue alterutro istorum vocabulorum appellari solita, forte propter affinitatem, quam cum virginitate habet. Rhamnus quidem dicta, propter soliditatem rigiditatemque adversus voluptatem quamdam græco isto verbo proprie indicatam. Agnus autem, hoc est casta, quod talis semper duret. Unde Eliam

a facie Jezabelis mulieris fugientem Scriptura refert sub rhamno (6) acquievisse primum[1]: ibique exauditum, corroboratum esse sumpto cibo; quo indicatur eum qui libidinem fugit et mulierem [voluptatem], tutum securumque invenire refugium sub virginitatis umbra, quam arborem principis virginum Christi adventus statusque e terra eduxit, regnum humanæ virtutis merito adepturam rectequeque gesturam. Cum enim experientia compertum esset ipsa, non sufficere ad salvandum hominem leges temporibus Adami, Noë, Moysique promulgatas, eadem experientia deprehensum est, solam Legem evangelicam ad salutem esse cunctorum efficacem. Ficus siquidem electa est ut regnaret super ligna : quo loco ligna hominem symbolice significant, ficus vero præceptum. Primus homo scilicet post lapsum voluit rursus sub regno virtutis esse, et optavit ab immortalitate deliciisque paradisi non ejici. Sed rejectum est illud ejus desiderium justa transgressionis pœna, et ipse procul exturbatus : eique declaratum non posse ipsum amplius sub regno incorruptionis in illis amœnissimis locis jucunde vivere. Prima sic ejecta, novæ Legis promulgatio Noë temporibus missa est : cui si attenderet, posset per eam a peccato salvari : quare quies ipsi a malis lætitia denuntiabatur, si Legem illam totis exercere viribus induceret in animum; uti et vinum vitis se producturam agricolis denuntiat, modo eam diligentes curaverint et excoluerint. Verum ne hæc quidem Lex regnavit super homines, quoniam ei obtemperare noluerunt, accurate licet a Noë promulgatæ. Cæterum malo domiti, postquam undique circumventi aquis suffocarentur, cœperunt pœnitere, promiseruntque se obedientes mandatis futuros. Rejecti tamen sunt et spreti, neque digni visi sunt, qui regerentur illo imperio, id est, a promulgata ipsis Lege juvarentur : res-

[1] 3 Reg. XIX, 4.

ponsante ipsis Spiritu, et exprobrante, quod neglexissent monita eorum, qui Dei jussu et missu ad ipsos venerant; atque aiente : Illos quidem, o contumaces, quos rejecistis irrisistisque salutaria vobis suadentes, Noë videlicet ac filios ejus : ego in hoc discrimine servabo, et consolabor, ultro iis suppetias veniens : vos autem malas arbores nullo prudentiæ fructu commendatas, et nihil differentes a lignis aridis, pessum ire, ut cœpistis, et digni estis, patiar : quando mihi antea prædicanti præsentium malorum fugam, fidem adhibere noluistis. His per hunc modum a paterna cura benigne Dei providentiæ abdicatis, et rursus postea humano genere in errorem effuso : tertio Deus misit reguaturam hominibus, et iis justitiæ recordationem inducturam, Legem datam per Moysen. Illi autem longo ei vale dicto, in idololatriam se addiderunt. Unde in cædes mutuas, et fugas captivitatesque hos quoque Deus tradidit; Lege ipsa quasi sentiente fatenteque salvari eos per se non posse : etiam cum postea percussi afflictique commeritis malis, pollicebantur pœnitentes ac supplices, sese mandatis obedituros. Quo ad Deus quartum miseratus hominem, Castitatem misit in regnum mundi, quarto loco in hac quam tractamus Scriptura rhamni symbolo designatam. Hæc rigide austereque absumptis voluptatibus, etiam minatur nisi ei sine cunctatione omnes obediant et in veritate ad ipsam accedant, igni consumpturam universos. Non enim futuram aliam postea Legem, aut promulgationem novæ ad salutem efficacis doctrinæ; sed mutationem quæ prima occurret rerum, fore ultimum judicium, et finale incendium ignis extremi. Ea denuntiatione ac metu juste agere homo cœpit, et credere firmiter Deo, abrumpereque se a diabolo. Sic utilissimum et salutare auxilium submisit Deus hominibus Castitatem : quippe quam solam imitari arte mala, effingereque ejus falsum simile vero simulacrum diabolus ad

fallendum non potuit : sicut in aliis legibus non infeliciter attentaverat. Etenim per ficum , ut dixi , cum significaretur dulcedo vitæ felicis, quam in paradiso innocentes adhuc primi homines experti erant ; miseris ejus opera illinc expelli meritis fallax solatium illusor excogitavit , ficulneum integumentum nuditatis : cujus quippe arboris fructum abstulerat, folia reddidit, iisque ut illa velarent auctor fuit, etiam in tali consilio malitiosus : cum folia illa molliter scabra , et affrictu suo pruritum cientia , spe proritandæ libidinis illis partibus admoveret. Servatis quoque a diluvio, ac per spiritualis lætitiæ vitem recreatis , æmulum propinavit novi liquoris calicem , quo inebriatum irrisit rursus, virtutisque vestitu spoliavit hominem. Erit autem deinceps manifestius quod dico. Adversaria potestas semper imitatur virtutis justitiæque habitus , non ad profectum suum secundum veritatem : sed ad deceptionem alienam simulatione fraudulenta. Ut enim ad mortem illecebra pertrahat fugientes mortem , immortalibus exterius coloribus fucatur: ficus vult vitisque existimari : dulcedinem ex se lætitiamque spondet , in Angelum transfigurata lucis [1] , et specie religionis illiciens multos in perniciem. Duo enim esse genera ficuum vitiumque in sacris litteris reperimus. « Ficus bonas, » bonas valde , *et* ficus malas , malas valde ; vinum lætificans » cor hominm ; *et* vinum fel draconum, et venenum aspidum » insanabile [2]. » Sed ex quo regnum iniit hominum castitas, deprehensa fraus est , et facile rejecta , principe virginum Christo illam avertente. Et vera ficus , et vera vitis fructificant , postquam imperium in omnes castitas accepit. Sicuti Joël Propheta evangelizat : « Confide , terra , *dicens* , gaude » et lætare ; quoniam magnificavit Dominus ut faceret. Con» fidite, jumenta campi , quia germinaverunt campi solitudi» nis , quia lignum attulit fructum suum , ficus et vinea de-

[1] 2 Cor. xi, 14. — [2] Jerem. xxiv, 3. Psalm. civ, 3. Deuter. xxxii, 33.

» derunt virtutem suam. Et, filii, Sion gaudete, et lætamini » in Domino Deo vestro, quia dedit vobis cibum in justi- » tiam[1]. » Vitem et ficum arbores fructus in justitiam germinantes priores leges vocans, quæ post incarnationem Verbi fructificarunt, quando regnavit super nos Castitas, cum antea continuissent suppressissentque sua germina, ob peccatum et multum errorem : non enim potuit tale nobis alimentum, quod ad vitam proficeret, præbere vitis vera et ficus vera, ficu adhuc non vera, et ad fraudem faciendam assimulata, florente. Sed quando arefecit Dominus falsa germina speciose composita ad fucosam imitationem verorum, prolata sententia in amariferam ficum, « Ne am- » plius nascatur ex te fructus in sempiternum[2]. » tunc quæ vere fructifera erant floruerunt, et produxerunt cibum in justitiam. Refertur etiam, idque sæpe, vitis ad Christum Dominum[3], ad Spiritum vero sanctum ficus : quod Dominus quidem corda exhilaret hominum, sanctus vero Spiritus iis medeatur. Et propterea jubetur primum Ezechias, massa ficorum imposita ulceri, hoc est fructu Spiritus, curari, ut valetudinem reciperet[4], medicina nempe, juxta Apostolum, caritatis. « Fructus enim, *inquit*, Spiritus caritas, gau- » dium, pax, patientia, bonitas, fides, mansuetudo, con- » tinentia[5]. » Quas res ob ipsarum multam dulcedinem ficus Propheta vocavit. Et Michæas : « Et requiescet unusquis- » que, *inquit*, sub vite sua, et sub ficu sua, et non erit qui » exterreat[6]. » Certum enim est eos qui sub sancti Spiritus umbram velut sacræ ficus, et sub Verbi, nempe mysticæ vitis, tegmen atque asylum confugerint, in eoque acquieverint, nulla pusillanimitate tentandos, nullo terrore consternandos turbatoris cordium diaboli. Porro Legem Mosis, olivæ designari symbolo Zacharias docet, sic dicens : « Et

[1] Joel, II, 21. — [2] Matth. XXI, 19. — [3] Joan. XV, 1. — [4] 4 Reg. XX, 7. — [5] Galat. V, 22. — [6] Mich. IV, 4.

» reversus est Angelus qui loquebatur in me, et suscitavit » me, quasi virum qui suscitatur de somno suo; et dixit ad » me : Quid tu vides? Et dixi : Vidi, et ecce candelabrum » aureum totum, et lampas super ipsum. Et duæ olivæ, una » a dextris lampadis ejus, et una a sinistris [1]. » Et post pauca, interroganti Prophetæ quid essent « duæ olivæ ad dexteram » candelabri, et ad sinistram ejus; » et quid essent « duo » rami olivarum, qui sunt in manibus duorum rostrorum : » respondit et dixit Angelus : « Isti sunt duo filii pinguedinis, » qui assistunt Domino universæ terræ [2]. » Duas innuens primogenitas virtutes esse, assistentes Deo. Quæ in domo circa funiculum per ramos subministrant spirituale oleum Dei, ut lumen habeat divinæ cognitionis. Duo enim rami duarum olivarum, Lex sunt et Prophetæ, qui circa funiculum hæreditatis vocati sunt : quos germinavit Christus et Spiritus sanctus : non valentibus adhuc nobis capere fructum totum, et magnitudinem plantarum harum; prius quam regnaret in mundo Castitas : sed ramos ipsarum solos, Legem videlicet et Prophetiam prius excoluimus, idque seguiter, sæpe prolabentes. Quis enim Christum aut Spiritum perfectum valuit capere unquam, qui non se purgasset primum? Nam quæ ad gloriam desiderabilem, et amabilem a pueritia prima operatur animam exercitatio sancta, et mundum ipsi hunc facilem, inquam, et citra laborem ærumnamve ullam paratum spiritum ornamentorum cultum adhibet, suadetque ut exiguos labores electione sapienti pro magnis paciscatur spebus, ipsa hæc est de qua gimus, immortalitatem corporibus nostris tribuens Castitas, quam omnes ultro ac libenter homines præferre omnibus, ac super omnia laudare oportet : alios quidem, quoniam per ipsam ad honorem nuptiarum cum Verbo promoti sunt, in professionem assumpti virginitatis; alios autem,

[1] Zach. IV, 1. — [2] Id. XI, 12, 14.

quoniam per ipsam liberati sunt ab illa maledictione : « Terra es, et in terram reverteris. » Hic est, o Arete, quem exegisti a me, pro mearum tenuitate absolutus virium, sermo de virginitate : quem peto, etsi mediocris exilisque sit, benigno tamen animo accipias a me, cui ultimum assignasti perorandi locum.

ARETE.

ORATIO UNDECIMA.

Accipio equidem (respondisse Areten referebat Theopatra), et totum laudo. Fortiter enim, etsi non ita clare, cæterum cum affectu impetuque toties hactenus tractatum argumentum de integro assumens, non inanem parasti voluptatem demulcendis auribus : sed ad correctionem morum virtutisque atque officii diligentiam utilem exhortationem attulisti. Præferendam enim cæteris meis qui docet studiis officiisque Castitatem, et præ aliis amplectendam primam, recte præcipit. Quam colere observareque multi quidem sese putant : honorant autem ipsam, ut verum dicam, pauci. Non enim quicumque suam carnem a venerei congressus voluptate homo continuerit, continuo virginitatem vere colere censebitur, nisi alias quoque sensuum coerceat cupiditates. Quin ipsam ignominiose traducit potius, cum ejus professione suscepta vilibus indulget nihilominus et plebeiis cupiditatibus ; loco fœdarum, quas spernit, voluptatum, alias non tam quidem probrosas, sed tamen non innocentes commutans voluptates. Neque si cupiditatibus quidem sensuum omnibus fortiter obstiterit, le-

vitate autem efferatur animi, vanæ aura gloriolæ inflari sese sinens, inde occasione superbiendi sumpta, quod vim habeat imperandi sibi; et æstus exardescentis in se libidinis extinguere mentis ac virtutis arbitrio valeat, omnes ideo præ se despiciens; recte censeatur virginitatem colere : quam dedecore verius afficit, contagione arrogantiæ inficiens : et quod dicitur [1], exterius quidem convexum vasis, aut calicis, carnem videlicet ac corpus, sollicite mundans : interiora vero, puta cor ipsum atque animum, tumoris ambitionisque sordibus inquinans. Neque si quis pecuniarum cupiditate capitur, virginitatem vere studet colere; spernit enim illam verius, lucrum exiguum ipsi præferens : cui tamen nulla est comparabilis rerum in vita pretiosarum [2]. Divitiæ quippe omnes, et aurum, in conspectu ejus arena est exigua. Neque qui se ipsum supra modum amare deprehenditur, et quod sibi soli prodest unice intuetur ac curat, necessitatum proximi securus, virginitatem colit; contemnit quin etiam eam hic quoque. Multum enim deficit ab iis qui pro dignitate illam exercent, caritatem ejus propriam, misericordiam et humanitatem lædens. Nequaquam enim rectum est, hinc quidem Castitatis perpetuo usu virginitatem colere; illinc vero pravis facinoribus pollui, et in alio genere luxuriari : neque hinc quidem profiteri puritatem et continentiam, illinc autem aliorum vitiorum peccatis inquinari. Neque rursus hinc quidem palam dicere sese non curare res mundanas : illinc autem iis hærere affixum, et studio earum nimio turbari. Omnia nimirum hominis membra pariter a contagione corruptionis removenda sunt, non illa solum quæ pudor velat, in quibus istius concupiscentiæ vis residet. Quin potius publicorum, ut sic dicam, et se honeste ostentantium membrorum rationem haberi majorem decet, ne deformata maculis, specta-

[1] Matth. xxii, 25. — [2] Sap vii, 7.

culo exposita risum præbeant; quod ei accidet qui virgo inguine, non item lingua fuerit: ut et ei quoque, qui linguam quidam servaverit virginem, non item oculum, aurem, manus; aut qui hæc quidem omnia in virginitate quadam ipsis propria continuerit, cor vero prostituerit adulteriis tumoris furorisque. Oportet enim omnino eum, qui professione virginitatis assumpta, isti deesse officio noluerit, artus universos sensusque proprios custodire puros constrictosque, uti fieri navium in tabulis solet, quarum juncturas diligenter agglutinant stringuntque invicem navarchi : qui ut ab illapsu aquæ intra navem sollicite cavent; ita nos pari cura in majori periculo satagere par est, ne qua per incustoditos ac male patentes sensus vis late redundantis per vitam ac mundum iniquitatis sese in nostras animas insinuet. Nam ut nobilissima quæque præstantissimaque professio est: ita maximis est gravissimisque offensionibus exposita. Et quo bonum verius majusque quodque est, eo infestius infensum experitur malum. Multi ergo virginitatem profitentes, quod rem continuo confectam arbitrarentur, modo abstinerent se flagitiis, in cætera vitæ institutione remissi, ipsa virginitate exciderunt; et sui partem dedecoris aliis etiam asperserunt professionis suæ sociis, recto per illam studio pergentibus. Quam a nostro genere calumniam vestra, virgines quæ hic adestis, vita sancta inculpataque refutavit; quæ utique non minus opere quam verbo virginitatem profitemini. Hactenus qualem esse conveniat virginem perscripsimus. Vos autem in hoc quodam hodie celebrato certamine, magna omnes, et laudabili contentione versatas, ego attenta sermonum omnium auditrix vestrorum, omnes declaro victrices coronoque. Theclam tamen major floridiorique corona; quippe quæ se supra vos insigni eminentique studio commendaverit. Hæc locutam aiebat Areten Theopatra, jussisse cunctas assurgere, et sub rhamno,

quæ illic erat, ingenti stantes, debitas gratias et laudes suavi consonoque cecinisse carmine : ducente chorum præcinenteque Thecla. Ut igitur assurrexerunt, Theclam narrabat, virginum mediam, a dextris Aretes stantem, modulate cecinisse : reliquas vero in orbem, velut in chori forma consertim stantes, succinuisse respondentes, frequentata sæpius hac, et per vices resonante sententia :

Tibi me servo castam, et splendentem tenens lampadem, Sponse, occurro tibi.

Cœlitus, Virgines, clamoris excitantis mortuos sonus venit, sponso jubens occurrere simul omnes obviam, albis in stolis et lampadibus, Orientem versus. Surgite priusquam occupet intra portas penetrare Dominus.

Tibi me servo castam, et c.

Mortalibus suspiratam mundi felicitatem fugiens, et vitæ delicias, voluptates, amores, tuis ulnis salutiferis protegi desidero, et tuam videre semper, o Beate, pulchritudinem.

Tibi me servo castam, et c.

Nuptiarum relinquens mortales lectos, et domum propter te, o Rex, auro plenam, venio immaculatis in vestibus, ut admittar et ego beatos intra thalamos una tecum.

Tibi me servo castam, et c.

Dolis elapsa draconis innumerabilibus, o Beate, blandis corruptoribus : præterea vero et ignis flamma, et ferarum immanium homicidis insultibus, expectans te de cœlo.

Tibi me servo castam, et c.

Oblita patriæ, desiderio tuæ formæ sum [1], Deus Verbum; oblita virginum æqualium choros, et materni jactantiam generis. Omnia enim tu mihi, Christe, tu ipse es.

Tibi me servo castam, et c.

Vitæ choragus largitorque, Christe, es. Salve, lumen inoc-

[1] Psalm. XLIV, 11.

ciduum : hanc accipe acclamationem. Chorus te virginum compellat, o perfecte flos, caritas, gaudium, sapientia, Verbum.

Tibi me servo castam, et c.

Apertis januis, Regina speciose ornata, admitte intra thalamos nos quoque; impolluti corporis egregie victrix Nympha decorem spirans, adsumus vestitu pari, fortunata pubes, tuas nuptias cantantes.

Tibi me servo castam, et c.

Lugent nunc graviter suspirantes puellæ, amaris flentes portas extra lacrymis; ejulant misere, quod lampadum extingui lumen passæ, non occuparunt strenue gaudii adyta introspicere[1].

Tibi me servo castam, et c.

Sacra enim aversæ via, in vitæ semitas providere oleum neglexerunt miseræ quantum sat esset : mortuas vero ignis flammei ferentes lampadas, suspirant intus ex animo.

Tibi me servo castam, et c.

Crateres dulciter redundantes apponuntur nectaris. Bibamus cœlestem, virgines, liquorem, quem Sponsus propinat iis, qui suo merito ad nuptias sunt vocati.

Tibi me servo castam, et c.

Splendide tuam mortem præfigurans Abel[2], o Beate, dixit sanguine stillans, intuens in cœlum : Crudeliter cognata manu vulneratum me suscipe, precor, o Verbum.

Tibi me servo castum, et c.

Maximum pudicitiæ certamen fortis tuus filius, o Verbum, Joseph exantlavit[3] : mulier enim ipsum in nefarios toros violenter trahebat inflammata libidine. Ille autem nihil reveritus fugit nudus, exclamans :

Tibi me servo castum, et c.

Teneram Jephte victimam puellam admovit aris in sacri

[1] Matth. xxv, 11. — [2] Genes. iv, 10. — [3] Id. xxxix, 12.

ficium Deo, non expertam virum, immolandam in altari velut agnam [1]. Illa vero generose, tuæ carnis, o Beate, figuram, gerens, clamavit voce contenta :

Tibi me servo castam, et c.

Peregrinum ductorem numerosissimorum exercituum, fortiter aggrediens ardua, feliciter exequens destinata, Judith dolose decollavit [2], pulchritudinis suæ delinitum specie, priusquam ullam membris corporis obtulisset maculam, ovantibusque vocibus dixit :

Tibi me servo castam, et c.

Videntes [3] speciem decoram nudi Susannæ corporis duo judices, amore furenter dixerunt : O mulier, hic adsumus te clam potiri cupientes. Ad hæc illa exclamavit tremens :

Tibi me servo castam, et c.

Multo mihi mori melius est, quam, prodito vobis adulteris viri lecto, sempiternum supplicium, ab ignea Dei ultione pati. Serva me, Christe, a præsenti malo :

Tibi me servo castam, et c.

Fluentis purgantibus lavans multitudines mortalium tuus Prodromus, injuste a malo viro ductus ad cædem est [4] propter castitatem : cruoreque ac tabo rigans pulverem, clamavit tibi, Beate :

Tibi me servo castum, et c.

Tua quoque item, ut vitæ gratiosa Genitrix, intacta, illibata, immaculatos conceptus tuos in viri experte ferens utero, suspicione laboravit adulterii virgo. Dixit autem tibi, quem alvo gestabat :

Tibi me servo castam, et c.

Tuam, o Beate, nuptialem optantes diem videre, quoscumque superne ipse Angelorum Rex vocasti, venerunt maxima tibi, Verbum, dona ferentes, immaculatis induti vestibus.

Tibi me servo castam, et c.

[1] Judic. xi, 38. — [2] Judith, viii, 1. — [3] Dan. xiii, 19. — [4] Matth. i, 18.

Hymnis te felix nova nupta nos thalami comites celebramus, te nunc intacta virgo Ecclesia, niveo perfusa candore corpus, nigris formosa cirris, casta, irreprehensibilis, amabilis.

Tibi me servo castam, et c.

Corruptio fugit, et morborum labores lacrymas elicientes. Mors abolita est, periit omnis insania, mortuus est dolor animi consumptor. Exulit autem Dei Christi gaudium mortalibus insperato rursus.

Tibi me servo castam, et c.

Viduus mortalium paradisus est; non jam enim eum rursus ex divina, ut prius, voluntate, homo incolit artibus extrusus inde variis draconis prius incorruptibilis, nihil timens, Beate.

Tibi me servo castam, et c.

Canens novum hymnum nunc chorus te Virginum deducit cœlum versus, regina palam tota, coronatus candidis liliorum calycibus, et flammas manibus illuminatrices ferens.

Tibi me servo castam, et c.

O immaculatas cœli Beate sedes habitans, principio carens, omnia continens æterna vi, accipe cum Filio tuo, et sine, o Pater, penetrare nos quoque intra vitæ portas.

Tibi me servo castam, et splendentem tenens lampadem, Sponsa, occurro tibi.

Eubulium. Merito primas laudes præmiaque Thecla tulit, o Gregorium.

Gregorium. Merito utique.

Eubulium. Quid vero, Telmisiaca hospita, dic mihi, numquid saltem admovebat exterius aurem januæ, ut aliquid raperet? Mirum enim si potuit quiescere audita convivii fama istius, et non statim, ut avis ad escam advolavit, exceptura quidquid potest eorum quæ dicebantur.

Gregorium. Nempe ipsam fama est simul affuisse cum

Methodio, eadem hæc ipsa ex Arete percontante. Bonum sane beatumque est tali magistra uti, viæque duce, videlicet Virtute.

Eubulium. At, o Gregorium, utros meliores dicimus? eosne qui nullo concupiscentiæ pulsati motu sese continent? an qui rebellionem quidem cupiditatis patiuntur, nihilo tamen minus in Virginitate perseverant?

Gregorium. Priores equidem crediderim : quoniam illi animum pariter, et sensum immaculatum obtinent; totique in solidum incorrupti sunt, nulla in parte deficientes.

Eubulium. Bene, per Castitatem juro, et prudenter, o Gregorium. Sed quæso ne quid obstes, si hanc plenius quæstionem capessivero, excussereque diligentius, quo fortius deinde plane compertis insistam; neque jam me dimovere quisquam valeat ex eo, quodcumque comparatis utrimque rationibus constituerimus.

Gregorium. Capesse, executeque ut vis, per me licet. Ego enim abunde habere mihi videor unde doceam te, concupiscente non concupiscentem esse potiorem. Quod si tenes, nemo sit omnium qui te inde moveat.

Eubulium. Papæ. Gaudeo enim respondere te mihi magnifice, ostentareque quantarum sapientiæ opum tibi conscia sis.

Gregorium. O te loquaculum, Eubuli!

Eubulium. Quid ita vero?

Gregorium. Qui non vere sed irridendæ mei causa, talia memores.

Eubulium. Bona verba, o beata. Imo equidem prudentiæ te exquisitæque sapientiæ nomine admiror. Hæc eo dixi, quod de quibus invicem sapientes disceptant sæpius, ea non modo scire te dicis; verum etiam alios posse te docere gloriaris.

Gregorium. Quorsum hæc? Age dic ex vero : moleste fers dici a me, non præstare concupiscentes, et tamen con-

tinentes, non concupiscentibus; an omnino mihi per ista illudis?

Eubulium. Quomodo explorare me vis, quæ me scire fateor? Agesis enim, dic mihi, o sapientissima : in quo excellunt non concupiscentes casti, supra concupiscentiæ tumultum sine culpa patientes Virgines?

Gregorium. In eo primum, quod puram obtinent animam quoque ipsam, nullis cogitationum impeditam fœditatibus, quo minus Spiritus in ea sanctus immaculatum, et se dignum habitaculum reperiat : cujus velut templi inviolata religio, nullis rebellantis cupiditatis vel primis motibus contaminetur. Beata serenitate tranquillæ castitatis, cor æque carnemque componente in felicem perturbationum feriantium requiem. Qui vero visis commoti sensuum, imaginibus in animo turbantur obscœnis, distillationemque velut quandam influentis per rimas in cor cupiditatis, utcumque inviti, reluctantesque, tamen experiuntur : nulloconatu virtutis labi repugnantis assequi possunt, ne qualicumque delectationis, quantumvis involuntariæ, macula sæpius fœdentur.

Eubulium. Igitur serene feriantes istos, nihil molestiarum a concupiscentiæ rebellione patientes dicemus puros?

Gregorium. Utique. Hos enim et tales Deus in Beatitudinibus quas fidelibus proposuit[1], visuros promisit Deum : quoniam puritate cordis assequuntur, ut nulla mentis oculum phantasmatum impurorum offuscet nubes, quominus libere intendere in Dei contemplationem queant : et extra longe cupiditatum turbam tumultumque sæcularium sepositi, non carnem, ut dixi, solum puram ab omni libidine tuentur; sed cor quoque inaccessum impuris imaginibus cogitationum obscœnarum; cor inquam, quod cum templum et sacrum penetrale residentis in homine divini

[1] Matth. v.

Spiritus sit, omni ex parte mundum sanctumque decet esse.

Eubulium. Siste jam. Puto enim ad investigationem ejus, quod vere præstantius est, recta nos hinc via progressuros. Dic mihi : vocas aliquem gubernatorem bonum ?

Gregorium. Sane.

Eubulium. Quem vero ? An eum qui in magnis vehementissimisque tempestatibus, navem servaverit : an qui idem in serena tranquillitate fecerit ?

Gregorium. Utique priorem.

Eubulium. Igitur et animam jactatam perturbationum procellis, nec tamen industriam constantiamve remittentem, sed invicta generosi propositi perseverantia corpus suum velut navem in continentiæ portum per obstantes scopulos, fluctus, ventosque promoventem, præstantiorem ea laudabilioremque dicemus, quæ in malacia pacati maris secure jucundeque navigat.

Gregorium. Dicemus.

Eubulium. Nam obniti reflantium impulsibus ventorum, quos contra immittit nequam spiritus; nec inflecti tamen umquam dejicive aut vinci : quin potius, spe ac cogitatione in Christo fixa, fortissime repugnare voluptatibus, majorem profecto laudem, uti et difficultatem, habet, quam in amœno beatoque tranquillæ Virginitatis portu desidere.

Gregorium. Apparet ita esse.

Eubulium. Quid ? ipse Dominus nonne videtur ostendere multum judicio suo præcellere illum, qui multas licet impugnationes concupiscentiæ perferens, severe tamen sese continet, super alium qui cum nullas corporis oppugnationes sustineat, facilem Virginitatis citra prælium victricis triumphum agit.

Gregorium. Ubi vero hæc Dominus ?

Eubulium. Ubi sapientem comparat domui pene fundatæ; quem tum demum immobiliter fixum in laude constantiæ

prædicat, postquam experimento concussionum nihil nocentium patuit, eum neque ab imbrium illapsu, neque ab imbrium incursu, neque a ventorum impetu, demoveri de sede potuisse[1] : rerum ut apparet symbolis istarum designatis concupiscentiæ intemperiis : petra vero, in qua bene fundata domus inconcussa stat, fixum animæ in æterna Virginitate statum adumbrante.

Gregorium. Videri possis vera dicere.

Eubulium. Quid ? medicum an non eum vocas habesque optimum, cujus in gravissimis difficillimisque morbis ab hominum iis implicitorum capite propulsandis spectata probataque industria est?

Gregorium. Equidem.

Eubulium. Eum autem qui nullum dum experimentum sui dedit, qui nihil fecerit, nullius ægri curam sumpserit, nonne minus commendabilem omnino censes ?

Gregorium. Certe.

Eubulium. Ergo et animam, quæ luxuriosi corporis æstus plusquam febriles salubri moderatione sustinet, quæque voluptates, veros et lethales ejus morbos, continentiæ constantissime durantis efficacibus medicamentis curat, utique dicendum sit medicæ facultatis laudem ferre majorem, ea quæ corpus egregie sanum tranquilleque sine cupiditatum perturbatione compositum, sortita regendum curandumque fuerit.

Gregorium. Fatendum est.

Eubulium. Quid rursus in luctæ certamine? uter melior pugil, an cum adversariis experiens magnis et robustis, eisque obluctans semper, nec succumbens umquam, an is qui cum nemine manus ac lacertos contulit ?

Gregorium. Manifeste is qui virtutem in adversario probat.

[1] Matth. VII, 24.

Eubulium. Ain tu in palæstra quoque athletam potiorem, qui adversarios contra nitentes sustinet?

Gregorium. Necessario.

Eubulium. Necessario igitur et anima quæ assidue decertat, et satagit adversus insultus cupiditatis, neque iis umquam abripitur; sed potius iis frustra obstantibus, corpus ad partes castitatis trahit, et pro ea stare docet, locumque immobiliter tueri : fortior alia censenda est, quæ nullam concupiscentiæ interpellationem sentiat.

Gregorium. Vera dicis.

Eubulium. Quid? gerere se fortiter adversus impetus pravorum affectuum, o Gregorium, videturne tibi ad fortitudinis laudem pertinere?

Gregorium. Et quidem valde.

Eubulium. Fortitudo porro ipsa pars virtutis, opinor, est.

Gregorium. Negari non potest.

Eubulium. Si ergo pars virtutis est ista non cedens tolerantia turbantis cupiditatis : nonne quæ molestias hasce perferens, stat invicta tamen anima, cupiditatibus semper superior, plus habere fortitudinis videtur, quam ea quæ nullas tales difficultates experitur?

Gregorium. Profecto.

Eubulium. Melior ergo præstantiorque est, quantum ex modo concessis evidenter sequitur, ea quæ inter insultus concupiscentiæ casta perstat tamen, quam ea quæ sine ulla concupiscentiæ agitatione casta est.

Gregorium. Vera loqueris : cuperemque te pluribus de hoc argumento audire disserentem. Si ergo probas, cras huc revertar operam tibi datura de his agenti : nunc enim, ut vides, tempus jam est ad exterioris nos hominis curam vertere.

EX LIBRO

SANCTI METHODII

DE RESURRECTIONE

EXCERPTA[1].

(INTERPRETE P. FRANCISCO COMBEFISIO, O. P.)

I.

Malum Deus non fecit, vel ullo prorsus modo author illius est. Sed quidquid arbitrii liberi facultate præditum, sic ab eo conditum est, ut legem servaret ac custodiret, quam is juste tulisset, ea non servata malum nuncupatur. Est autem hoc damnum gravissimum Deo non obaudire, ejus justitiæ quæ ex liberi arbitrii rationibus est, transgredi leges. Illud vero ante jam in disputationem adductum ac probatum est, tunicas pelliceas corpora non esse; id tamen rursus etiam (nec enim semel dixisse sufficiat) repetamus. Ipse sane primus parens, cum nondum hæ illi tunicæ consutæ essent, se tum carnem tum ossa confitetur habere, cum nimirum ad se adductam mulierem videns : « Hoc nunc » os, *clamavit*, ex ossibus meis, et caro de carne mea : hæc » vocabitur mulier; quoniam de viro sumpta est. Propter » hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit

[1] Ex Max. Biblioth. SS. Patrum (Lugd. 1677) tom. III, pag. 704 et seq.

» uxori suæ, et erunt duo in carne una[1]. » Neque enim quorundam ineptias feram et impudentiam qua violenter Scripturam detorquent, quo scilicet sine carne illis rata sit resurrectio, dum ossa spiritualia, et carnes quæ mente intelliguntur, comminiscuntur; atque alias alio susdeque allegorias mutant : cum tamen Christus, hæc ita ut scripta sunt accipienda confirmaverit, quo loco sciscitantibus Pharisæis de uxoris repudio, respondet : « Non legistis quia qui fecit » hominem ab initio, masculum fœminam fecit eos? Et » dixit : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem[2]. »

Sed et illud manifeste absurdum est arbitrari corpus in æterna vita cum anima minime futurum, ea scilicet ratione quod illud vinculum ac pedica sit, ne, ut illi existimant, sempiterne vincti, corruptioni addicti efficiamur, qui in regno lucis simus versaturi. Cum enim abunde dissoluta ac refutata sit illa sententia, qua animæ vinculum carnem esse statuerunt; etiam illud solutum est, fore ut ideo caro non resurgat, ne si eam receperimus vincti propter eam in regno lucis futuri simus.

Igitur ne immortale quoddam ac sempiternum malum esset homo, ut jam diximus, in quo peccatum dominaretur, atque vigeret, quippe cum in immortali ortum corpore immortale alimentum haberet; propterea Deus dicta sententia, ipsum mortali qualitate inductum, mortalem reddidit. Hoc enim scorticæ illæ tunicæ significabant; scilicet corporis resolutione, omne ex imo peccatum stirpitus enecatum iri; ac ne tenuissimas quidem fibras remansuras, unde nova subinde germina peccatorum erumperent.

Ut enim caprificus magnificis temporum structuris innascens, atque in maximam amplitudinem adolescens, et multiplicibus radicum brachiis per omnes lapidum diffusa compages, non prius excrescere ac pullulare desinit, quam

[1] Genes. II. [2] Matth. XIX.

disjectis inde, unde enata erat, lapidibus, tota penitus evulsa concidat. Tum enim sublata caprifico, lapides suis locis possunt restitui : ut et templum ipsum incolume servetur, cum nihil amplius eorum quorum labe collabebatur incommodet, et caprificus evulsis ab imo radicibus extincta sit. Ad eum modum etiam Deus rerum artifex, templum suum [hominem] cum peccati germen edidisset, temporaneæ mortis impressione dissolvit; qui videlicet, juxta Scripturam, « occidat et vivere faciat : » quo nimirum ex iisdem denuo partibus caro, arefacto extinctoque peccato, in templi instaurati morem, immortalis illæsaque, sublato a fundamentis ac profligato peccato, excitaretur. Quandiu enim corpus vivit [antequam scilicet moriatur], cum eo vivere peccatum necesse erat; et occultas in nobis radices agere, quantumvis ærumnis vitæque malis coerceretur. Alioqui semel illuminati nihil jam iniqui perpetraremus, quippe peccato a nobis funditus sublato. Nunc vero post fidem ac posteaquam ad aquam sanctificationis venimus, haud raro peccatis obnoxii invenimur. Quotus enim quisque adeo se ab omni immunem peccato gloriari potest, ut ne cogitatione quidem scelus admittat? Quamobrem accidit ut nunc quidem peccatum comprimatur, ac fide consopiatur, ne fructus exitiosos edat, non tamen ut radicitus omnino evellatur. Quocirca nunc quidem ejus germina, cujusmodi sunt malæ cogitationes, cohibemus, « ne qua radix amaritudinis, » sursum germinans[1], » obtundat : non sinentes dehiscere ac aperiri obducta ostia ad pullulandum : verbo scilicet, securis instar, fruticantes identidem a radice stirpes excidente. Tunc vero omnino omnis mali abolenda cogitatio est.

Age enim, quoniam multis verum ejusmodi exemplis opus est, hinc potissimum ista consideremus; neque prius ab eo argumento discedamus quam ad clariorem explica-

[1] Hebr. XII.

tionem ac probationem oratio nostra evaserit. Perinde igitur mihi contigisse videtur, ac si peritissimus quispiam artifex egregiam ex auro vel alia materia statuam a se fabricatam ac membris omnibus concinne eleganterque perpolitam denuo conflet, ubi subinde a viro quodam nequissimo fœdatam animadvertit; qui hanc statuæ pulchritudinem præ invidia non ferens, labem aliquam intulerit, inanem inde captans voluptatem, quo in ipsum accensus livore est. Animadverte enim, sapientissime Aglaophon, si nullo prorsus modo voluerit artifex habere deturpatam statuam, quam tanto studio elegantiaque elaboravit, rursum plane inducet in animum ipsam conflando, qualis antea erat, reficere. Quod si fundere denuo, ac de integro restituere et instaurare non placeat; sed medicando solum ac emendando, sic illam, uti se habebat, relinquat; necesse est, ut igni accensa, arteque fabrili retractata effigies, non jam eadem conservetur; sed diversa, distractaque similitudine apparcat. Quare si præclarum et omnis labis expers simulacrum exire exoptet, confringi conflarique iterum necesse est; ut quidquid malevolorum fraude atque invidia turpitudinis vitiique inolevit, ea ratione qua instauratur ac conflatur dispereat : ipsum vero simulacrum in eadem rursus specie integrum et illæsum, sibi quam simillimum redeat. Ita enim contingit non ut statua ab eodem ipso artifice aboleatur, tametsi fusa in materiam rursus solvatur, sed ut in integrum restituatur : utque labes omnes et fœditates abstergat (quippe quæ absumuntur), non ut instaurentur ac denuo redeant; idcirco nimirum quod in omni arte præstantissimus opifex, non eo respicit ut opus suum turpitudinis aliquid seu ab arte abhorrens illique adversum habeat, sed ut aptissime modulatum affabreque factum exeat. Idem igitur et in nobis Deus, certa consilii ratione, videtur præstitisse. Cum enim hominem, elegantissimum opus suum, fraudulentis artibus

ac invidia male habitum cerneret, talem pro sua benignitate relinquere noluit, ne in omne ævum infectum macula, immortale dedecus secum adveheret; sed in materiam denuo resolvit, ut quidquid in eo vitiosum erat, reformatione aboleretur ac deficeret. Quod enim in artis operibus statuæ conflatio existit, hoc nimirum in homine mors est ac dissolutio corporis; quod illic materiam denuo formam ornatumque recipere, hoc scilicet in negotio de quo agimus, a morte suscitatio : uti etiam Jeremias Propheta Judæis ait (nam is quoque in eum modum hæc illis denuntiat) : « Et » descendi in domum figuli; et ecce ille faciebat opus su» per lapidibus; et intercidit vas quod ipse faciebat in ma» nibus suis : et rursum finxit ille vas alterum, quemadmo» dum placuit illi, ut faceret. Et factum est verbum Domini » ad me, dicens : Si quemadmodum figulus iste, non potero » vos facere, domus Israel? Ecce sicut lutum figuli, vos estis » in manibus meis [1]. » Illud enim, uti dicebam, velim attendas, quemadmodum scilicet, post hominis transgressionem, voluerit magna illa manus opus suum tanquam spurium atque reprobum, malo, qui ex invidia per injuriam violasset, in victoria et ut ejus ille compos esset, relinquere, sed rursus eliquatum in lutum subegerit : ac si figulus vas confringat, ut nova fictione, quidquid in eo fœdatum est ac confusum, penitus aboleat; totumque opificium a principio, nulla labe vitioque placitum gratumque efficiat.

Sed nec illud magnopere probo, ut scilicet universum hoc funditus periturum dicamus : ac terram, aeremque et cœlum quandoque desitura. Sane quidem mundus hic totus, ut purgari possit et instaurari, exundantibus de cœlo flammis, incendio conflagrabit, non tamen omnino interibit ac corrumpetur. Etenim si mundum non esse quam esse melius esset, quid causæ erat cur Deus, mundum fabricando,

[1] Jerem. XVIII.

quod deterius erat eligeret? At neque Deus frustra, vel quod deterius est crearet. Quamobrem ut essent ac manerent, conditas a se res Deus constituit; quemadmodum etiam Sapientia astruit his verbis : « Creavit enim Deus ut »essent, omnia; et salutares sunt mundi generationes : et »non est in illis medicamentum exterminii [1]. » Cui et perspicue Paulus astipulatur, ita loquens : « Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim »creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui »subjecit eam in spe : quia et ipsa creatura liberabitur a »servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. «Vanitati enim (*inquit*) creatura subjecta est [2]. » Ab hac porro servitute creatura se liberatum iri expectat : quo nomine mundum hunc significare voluit. Non enim quæ videri nequeunt, sed hæc quæ aspectabilia sunt, corruptelæ serviunt. Manebit igitur creatura, in statum meliorem decentioremque renovata, gaudens atque exultans de resurrectione filiorum Dei; quorum nunc gratia ingemiscit et parturit, expectans et ipsa redemptionem nostram a corruptione corporis; ut, cum fuerimus excitati a mortuis, ac carnis mortalitatem excusserimus, pro eo ac scriptum est : « Excute »pulverem et sede : surge Jerusalem [3] : » fuerimusque liberati a peccatis, ipsa quoque liberetur a corruptione : nec jam vanitati, sed justitiæ serviat. Sed et Esaias : « Sicut enim, »*inquit*, cœlum novum et terra nova, quæ ego facio, per»manent in conspectu meo, dicit Dominus; sic erit semen »vestrum et nomen vestrum [4]. » Et iterum : « Sic dicit Domi»nus, qui fecit cœlum, hic qui terram condidit et fecit il»lam, ipse discrevit illam. Non in vanum fecit eam, sed ut »habitaretur, plasmavit eam [5]. » Nam revera non frustra, neque inaniter ad exitium (ut qui inania sapiunt, ineptique homines arbitrantur) universum hoc condidit Deus : sed ut

[1] Sap. I. — [2] Rom. VIII. — [3] Isai. LII. — [4] Id. LXVII. — [5] Id. XLV.

esset, et ut habitaretur, et ut permaneret. Unde et terram necesse est, et cœlum, post illam rerum omnium conflagrationem æstumque existere.

Sin autem adversarii objiciant : Qua igitur ratione, si rerum hæc universitas non sit peritura, Dominus quidem « cœlum ac terram transitura [1] » ait : Propheta autem, « cœ- » lum instar fumi esse periturum, terram autem quasi ves- » timentum esse veteraturam [2] ? » idcirco nimirum respondebimus, quod id moris Scripturæ sit, ut mundi ab statu hoc in melius præstantiusque mutationem interitum appellet, velut scilicet pereunte priori illa forma, conversione in jucundissimum statum. Nihil siquidem in Scripturis sacris contrarium et absurdum est. Quippe dictum est, « præterit » figura hujus mundi [3], » non mundus. Sic plane Scripturis usitatum est, ut ejus quod antecessit, in id quod melius ac formosius est, figuræ mutationem, interitum vocitent. Perinde ac si quis transitum ac mutationem formæ infantis in virum perfectum, interitum nominet : infantis statura majori mole ac pulchritudine mutata. Et vero putandum est fore, ut velut moritura in ea conflagratione, creatura renovanda, prætereat; non tamen ut extinguatur ac pereat : ut renovati et instaurati, in mundo instaurato ac renovato, nullo doloris sensu ipsi habitemus (7) : juxta quod dictum est : « Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis » faciem terræ [4] : » nimirum Deo deinceps providente ut continens temperatissimum sit. Nam cum post hujus sæculi exitum terra adhuc perseveratura sit, omnino necesse est esse etiam qui eam inhabitent, eosque ejusmodi, ut vel morituri sint amplius, vel copulandi nuptus, aut procreandæ soboli operam daturi : sed instar Angelorum sine ulla mutatione, immortali statu felicissime victuri. Ac proinde stultum est quærere quanam vitæ ratione usura sint corpora,

[1] Matth. XXIV. — [2] Is. I. LI. — [3] 1 Cor. VII. — [4] Psalm. CIII.

cum neque aer, neque terra, neque quidquam cæterorum amplius futurum sit.

Sed et illud, præter ea quæ dicta sunt, merito considerandum, habere scilicet magnam offensionem, atque a vero incautum abducere, si quidem in rebus, quæ tanti videantur, o Aglaophon, audacter loquendum est. Ais namque respondisse Dominum Sadducæis tentantibus : Fore, ut qui resurrectionis compotes erunt, *sint sicut Angeli.* Intulisti ergo : atqui Angeli, quia carnis expertes, in summa degunt felicitate et gloria : quare et nos, quos æquari oportet Angelis, necesse est ad eumdem mundum carne nudatos, Angelos fieri. Nec illud, optime virorum, animadvertisti; cum qui ex nihilo mundum fabricavit ac constituit, non Angelis modo et administris, sed et Principatibus, et Thronis, et Potestatibus eamdem immortalitatis naturam impartisse. Aliud enim est Angelorum genus, aliudque Principatuum, et aliud Potestatum; eo quod non unus ordo, unusve cœtus, ac tribus familiaque sit immortalium; sed generum, tribuumque et nationum divortia. Ac neque Cherubim, desciscentia a natura sua, in Angelorum speciem transeunt; neque contra in naturam aliam Angeli commutantur. Quippe, esse illa quod sunt, et cujusmodi producta sunt, necesse est. Quamobrem etiam homo, qui ut habitaret mundum, omnibusque in eo rebus præesset, ex prima distinctione constitutus est; velut immortalis, nunquam in Angelorum, aut alterius cujuslibet formam ex homine convertendus est; quando nec Angeli, ab ea, quam initio sortiti sunt, specie et natura, novo demutantur ornatu. Et vero Christus adveniens, non in alteram demutari vertique naturam hominis oportere prædicavit; sed in id redire, quod initio fuerat, antequam excideret, tum, cum immortalis esset. Siquidem necesse est, ut quodlibet eorum, quæ creata sunt, pro sui ratione atque habitu, congruo loco consistat; ut

omnibus omnia repleantur; cœli quidem, Angelis; Throni autem, Potestatibus; Ministris, lumina : diviniores porro sedes, purioraque et sinceriora lumina, Seraphinis, qui magno illi consilio assistentes, universum conservant; mundus denique hominibus. Atqui si homines in Angelos mutari dederimus, consequens est, ut et Angelos in Potestates, et has in aliud atque aliud transituras dicere omnino necesse sit.

Ac neque Deus, quasi malum hominem fabricaverit, aut in eo fingendo aberrarit, Angelum postea facere voluit, ac si vilissimorum ministrorum more, ipsum facti pœnituisset. Neque cum Angelum a principio facere constituisset, neque id esset assecutus, hominem procreavit. Nimium istud imbecillum est. Cur igitur hominem faciebat, non Angelum, si Angelum hominem facere, non hominem cogitaverat? An quia non poterat? Est hoc blasphemum. An in deteriore occupatus, quod præstantius est, differebat? Est et illud absurdum. Neque enim Deus moliendo bonum, vel ab eo aberrat, vel in aliud tempus differt, aut viribus deficitur ac impotens est : sed et qua velit ratione, et quando velit, posse habet, qui ipsa virtus ac potentia sit. Quamobrem cum hominem esse hominem vellet, initio produxit. Quod si voluntate fecit, vult autem quod bonum est (homo vero bonum est; atque adeo homo dicitur, quod de anima et corpore compositum est), sequitur extra corpus minime fore hominem, sed in corpore; ne alius præter hominem, homo producatur : decet enim, ut immortalia omnia genera, a Deo incolumia serventur : atqui homo est immortalis. « Crea» vit enim, *inquit Sapientia*, hominem inexterminabilem, » et imaginem æternitatis suæ fecit illum [1]. » Non ergo corpus peribit; quippe cum homo ex anima et corpore constitutus sit.

Ac vide, quæso, quemadmodum Dominus hæc ipsa tra-

[1] Sap. II, 23.

dere voluerit Sadducæis, resurrectionem carnis negantibus. Est enim hoc Sadducæorum dogma. Unde composita illa, de muliere, deque septem fratribus, parabola, quam adversus resurrectionis corporum dogma proponerent: « Ac» cesserunt ad eum, *inquit*, Sadducæi, dicentes resurrectio» nem non esse[1]. » Proinde Christus, si carnis resurrectio non esset, sed anima duntaxat salutem consequeretur, illis utique utpote recte ac præclare sentientibus, suam auctoritatem adjungeret. Atqui alia omnia respondens, ait: « In » resurrectione neque ducunt uxores, neque nubunt: sed » ut Angeli in cœlo sunt. » Non quod carnem non habeant, sed quod nullas inter se nuptias amplius contrahant; sed sint deinceps corruptionis expertes. Addit vero, ea nos parte Angelis proximos; ut quemadmodum Angeli in cœlo, sic nos in Paradiso, neque nuptiis amplius, neque conviviis indulgeamus, sed in contemplando Deo excolendaque vita simus occupati, præside ac moderatore Christo nobis. Nam non dixit, *Erunt Angeli* : sed, *sicut Angeli* : velut nimirum *gloria et honore coronati*, uti scriptum est: *paululum vero ab Angelis diversi*[2], atque illorum naturæ proximi. Quasi ita diceret: Tranquillo per noctem ac sereno cœlo, cum ætherea luce omnia collustrantur, luna sicut sol splendet. Tum enim, non omnino solem esse lunam ex illius testimonio colligeremus; sed ad solem accedere. Sicut etiam quod aurum non est, auro tamen natura sua propinquum est, *velut aurum* dicitur, non aurum: nam si esset aurum, non tanquam aurum, sed aurum dici deberet. Quia vero aurum non est, sed auro proximum, et quod auri speciem mentiatur, *sicut aurum* dicitur. Eodem plane modo, quod in resurrectione fore sanctos sicut Angelos pronuntiavit, non sic accipiendum est, ut ipsos Angelos fore voluerit, sed eorum tantum conditioni propinquos. Quamobrem stul-

[1] Matth. XXII, 23. — [2] Psalm. VIII, 6.

tissimum est ita colligere : Quoniam Christus Sanctos in resurrectione tanquam Angelos visum iri pronuntiavit, idcirco fore ut corpora hæc non resurgant; præsertim cum vox ipsa manifeste ostendat, quod ita eventurum sit. Resurrectio enim, non de eo dicitur quod nunquam cecidit; sed de eo quod cecidit, et iterum assurgit. Velut cum Propheta dicit : « Et suscitabo tabernaculum David, quod ceciderat[1]. » Cecidit porro mortale animæ tabernaculum, collapsum *in terram aggeris*[2]. Non enim quod non moritur, sed quod moritur, inclinare dicitur. At moritur caro : anima quippe immortalis. Quapropter si immortalis est anima, corpus vero cadaver est : qui ita resurrectionem esse confitentur, ut eam nihil ad carnem attinere putent, resurrectionem penitus negant. Quandoquidem non quod stat, sed quod cecidit et inclinavit, exurgere dicitur et suscitari, juxta ac scriptum est : « Numquid qui cadit, non resurgit? aut qui avertit se, » non revertitur[3]. »

Quoniam caro inter confinia corruptionis et incorruptionis, ac nec corruptio nec incorruptio, creata erat; victa vero est a corruptione propter voluptatem, quanquam esset incorruptionis opus et possessio; idcirco facta est corruptioni obnoxia, inclinavitque *in terram aggeris*[4]. Postquam ergo victa fuisset a corruptione, ac propter prævaricationem morti tradita; noluit Deus, quasi hæreditatem, corruptioni in victoria ejusque effectam juris, relinquere; sed rursum victa per resurrectionem morte, incorruptioni reddidit; ne corruptio, incorruptionem; sed magis incorruptio, quod est corruptibile, in hæreditatem acciperet. Ad hæc itaque respondet Apostolus : « Oportet corruptibile hoc, induere in-

[1] Amos, IX, 11. — [2] Dan. XII, 1. — [3] Jerem. VIII, 4. — [4] Dan. XII, 2.

» corruptionem ; et mortale hoc, induere immortalitatem [1] : » Corruptibile autem et mortale hoc induere immortalitatem et incorruptionem, quid aliud sit, quam « ut quod seminatur » in corruptione, surgat in incorruptione? » Non enim anima corruptibilis est aut mortalis ; corruptibile vero, et quod corrumpitur, ista caro est : « ut sicut portavimus imaginem ter» reni, portemus et imaginem cœlestis [2]. » Imago namque terreni, quam portavimus, illud est : « Terra es, et in ter» ram reverteris [3]. » Imago autem cœlestis, est resurrectio ex mortuis, et incorruptio : « Ut sicut Christus surrexit per » gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus [4]. » Quod si quis terrenam imaginem carnem istam dici existimet, cœlestem vero imaginem, corpus aliud spiritale, præter carnem ; hic prius cogitet, quemadmodum Christus, cœlestis homo, eadem membrorum forma, eamdemque imaginem ac carnem nostri similem gestans, visus sit ; propter quam etiam, cum homo non esset, homo factus sit : ut « sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes » vivificentur [5]. » Non enim ideo carnem portavit et induit, ut carnem non liberaret et resuscitaret. Nam quid frustra carnem induebat, quam nec salvam facere statuisset, nec resuscitare ? At enim nihil Dei Filius frustra facit. Non ergo inaniter nullaque utilitate, servi formam assumpsit ; sed ut resurrectione donaret præstaretque incolumem. Vere siquidem homo factus, et mortuus est : non apparentia inanique specie ; sed ut se ipse vere *primogenitum mortuorum* [6] (terreno homine in cœlestem, mortalique in immortalem mutato) exhiberet. Cum ergo ait Paulus : « Caro et sanguis regnum » Dei non possunt possidere [7] ; » non quasi carnis regenerationem neget, sic effert, sed quo doceat, non posse regnum Dei, quod sit vita æterna, possideri a corpore, sed corpus

[1] 1 Cor. xv, 53. — [2] Ibid. 49. — [3] Genes. III, 19. — [4] Rom. VI, 4. — [5] 1 Cor. xv, 22. — [6] Apoc. I, 5. — [7] 1 Cor. xv, 50.

a vita. Si enim regnum Dei, cum sit vita, a corpore possideretur; absorberi vitam a corruptione contingeret. Nunc vero, vita mortuum possidet, ut « mors in victoria absor- » beatur a vita [1] : » ac quod corruptioni obnoxium ea incorruptionis immortalitatisque possessio fiat : solutumque et liberum a morte et peccato, immortalitati servum subditumque evadat : ut sit corpus incorruptionis possessio, non corporis incorruptio.

Cum ex tam modica stillula, ac nec dum prorsus existente, ne quidem in ejusmodi humida, arctaque ac brevi substantia, ex non ente, homo fiat : quomodo non potius ex homine, qui jam fuerit, homo denuo fuerit homo ? Haud enim par videatur, quod jam extitit, fuitque dissolutum, rursum facere, ac quod nondum fuitque ex non ente fabricari. Quare, si lubet, excretam a masculo fœturam (ipsam nimirum seorsum), defunctique cadaver in medium producamus. Tum (rogo), ambobus palam expositis ac propositis, quodnam spectatores hominem fore crediturі sunt? num stillulam illam, quæ nihil prorsus sit? an mortuum, figura jam, moleque et substantia præditum? Si enim illud, quod plane nihil videatur, Deo tantum volente, ipsum iterum homo procreatur : potiori jure, quod est jam, et fuit consummatum, divino nutu, idipsum denuo homo fiet. Nam alioqui, quid volens Theologus Moyses, festum Tabernaculorum spiritaliter in Levitico edixit sanxitque celebrandum? Num enim, ut ita Deum festo colamus, quemadmodum Judæi, vilius vulgarique sensu Scripturas intelligentes, exponunt? velut nimirum Deo placeant ejusmodi ex fructibus ramisque et foliis adornata tabernacula, quæ statim despoliata virore marcescunt?

[1] 1 Cor. xv, 54.

Haud plane dicendum sit. Nam rogo cujusnam sit Scenopegia? Nimirum instituta est, ut veri tabernaculi nostri signum, quod in corruptionem prævaricatione prolapsum, peccatoque solutum, se Deus denuo compactum, incolume excitaturum promisit; quo ipsi vere, magnam illam decantatissimamque Scenopegiæ solemnitatem celebremus in resurrectione, quando compacta ad immortalitatis consonantiæque ornatum nostra tabernacula, ab omni immunia corruptione, de pulvere resurgent : quando auditura sunt, ut verissime habet Propheta, ossa arida, suis iterum commissuris reddita[1], admovente vivifico Plaste, optimoque Opifice Deo, carnem denuo renovante et commiscente ac astringente, non jam qualibus etiam initio continebatur vinculis, sed plane deinceps immortalibus ac insolubilibus. Nam vidi ego in Olympo (is porro mons est Lyciæ) ignem sponte sua, in montis cacumine, ex imo terræ erumpentem; juxta quem extat arbor Agnus nomine, adeo florida virensque et opaca, ut jugibus potius aquis irrigua nasci videatur. Quam igitur ob causam, cum naturæ corruptibilis sint, et corpora igni consummantur, nec fieri possit ut igni illæsa permaneant, quæ semel per naturam sunt comburi apta; planta hæc non modo non exuritur, verum etiam magis viret, vernatque ipsa nata comburi; idque cum ad ejus radicem ignis confoveatur ac latitet. Ego sane e circumjacente sylva decerptos arborum ramos in ignem illic erumpentem conjeci, qui subito flammis correpti in cinerem redacti sunt. Rogo itaque, quamobrem quod neque solis æstum ferre potest, sed nisi irrigetur ac infundatur, arescit, coarctante tanto incendio, non consumitur; quin vivit et floret? Quid sibi ergo vult hoc miraculum? Posuit Deus futuræ diei illius indicium quoddam et initium; ut sciamus, fore ut, igne cœlitus

[1] Dan. XII, 2. Ezech. XXXVII, 4.

pluente, omnibus obruptis absumptisque, corpora, quæ castitate claruerunt et justitia, per ignem, haud secus ac per aquam frigidam, absque ullo dolore ac molestia, ad ipsum deducantur. Vere enim eorum quæ nobis commodo erant studiosissime et magnifice Domine, tibi factori serviens creatura, in ultionem adversus iniquos intenditur : atque ad beneficium, eorum causa qui in te confidunt, remissa emollitur : teque volente, ignis quidem refrigerium præstat, iis nihil læsis, quorum ipse saluti consultum decreveris; aqua vero e contra, vehementius acriusque igni comburit; nec quicquam immortali tuo imperio et virtuti resistit. Omnia siquidem ex nihilo creasti : quare etiam omnia, cum tua sint, ut libuerit, in formam aliam rationemque convertis et mutas, qui solus Deus existis.

Apostolus ergo, cum plantare et rigare, arti, terræque et aquæ tribuisset, Deo soli accretionem concessit, cum ait : « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed » qui dat incrementum, Deus[1]. » Noverat enim, primogeniam illam omnium creatricem, omniumque artificem Dei sapientiam, omnia in mundum proferre : quam etiam antiqui naturam vocaverunt et providentiam, quod semper providens curansque, omnibus dat ut nascantur et crescant. « Nam, *inquit*, Pater meus usque modo operatur, et ego » operor[2]. » Quamobrem etiam Salomon « Artificem omnium » appellavit[3]. Nulla in Deo indigentia; sed qui omnia opulenter et creare et facere et variare, et in augmentum perducere valeat.

Qui creavit omnia Deus, omniaque curat, et omnibus

[1] 1 Cor. III, 7. — [2] Joan. V, 17. — [3] Sap. VII, 21.

providet; accepto de terra pulvere, qui foris est, nostrum formavit hominem.

II.

Protinus ergo terrenorum imperatorum imagines, quanquam minime ex pretiosa admodum auri vel argenti materia consistant, ab omnibus tamen honorantur. Neque enim si quæ ex pretiosiori materia conflatæ sunt, homines duntaxat colunt; si quæ vero ex vili, contemnunt et aspernantur : sed universim omnem in terra imaginem colunt, tametsi ex gypso vel ære confectam. Quisquis vero in earum aliquam, qualiscumque illa sit, maledicta conjecerit; is, neque velut in lutum injurius fuerit, absolutus dimittitur; neque, tanquam aurum spreverit, condemnatur; sed velut qui in ipsum imperatorum et dominum impie egerit. Quas quidem Angelorum Dei, Principatuumque et Potestatum imagines ex auro conflamus, eas ad ipsius honorem gloriamque conficimus.

(*EX PHOTIO.*)

III.

Lectum est ex libro sancti Methodii, Episcopi et Martyris; cujus compendii hoc est argumentum : Corpus non esse vinculum animæ, ut Origenes existimavit; neque corporibus illigatas a Jeremia Propheta dici [1], eo quod in corporibus sint. Neque enim animæ operationes a corpore impediri affirmat; imo corpus circumferri potius, et cooperari ad ea, ad quæ anima invitat. Enimvero, quomodo hac in parte intelligendus Gregorius Theologus, et alii plures?

[1] Thren. III, 34.

Origenes, post prævaricationem, corpus animæ vinculi loco adjunctum dixit, cum prius sine corpore viveret. Sed et hoc adjecit, corpus quod gestamus, causam esse peccatorum : quare etiam vinculum appellavit, ut quod animam a bonis operibus prohibere possit.

Si corpus post prævaricationem datum est animæ tanquam vinculum; vel est datum, ut ipsi malorum vinculum, vel ut bonorum. Sane vero nequit fieri ut bonorum vinculum : nullus enim medicus aliusve artifex remedium peccanti porrigit, ut plus peccet : multo minus Deus. Superest ergo ut sit datum tanquam vinculum malorum. Atqui videmus, quemadmodum Cain, cum primum hoc corpore vestitus esset, homicidium fecerit : posteri vero ad quæ scelera prolapsi sint, est manifestum. Ergo neque corpus est vinculum malorum : ergo neque ullo modo vinculum; neque illud anima post prævaricationem primum induit.

Homo, inquit, si ejus naturam spectes, verissime dicitur, neque anima sine corpore; neque e contra, corpus sine anima; sed illud quod ex coalitione animæ et corporis, in unam pulchri bonique formam conflatur : Origenes vero, ut Plato, solam animam dixit constituere hominem.

Differentiam inter hominem, et cætera animalia esse dicit : atque his quidem esse datas diversas naturæ figuras formasque, quantas nimirum solida atque oculis subjecta natura, Deo jubente, produxit : homini vero datum esse, ut esset Deo similis et deiformis; cunctaque ad exactam illam exemplarem Patris Unigenitique imaginem spectantia, haberet. Fuerit vero considerandum, qua Sanctus ratione id dicat.

Phidiam statuarium ait, cum Pisæam statuam ex ebore formasset, imperasse ante statuam oleum effundi, ut vim illi immortalem ea ratione conciliaret.

Diabolus, inquit, est spiritus, circa materiam, a Deo

factus, ut et Athenagoræ placuit; quemadmodum et reliqui Angeli ab eodem facti sunt, cui et materia, et formarum in materia administratio ac procuratio commissa sit. Ea enim productionis Angelorum ratio fuit, ut in iis quæ a Deo condita essent, providentia moderandis, vicariam Deo operam navarent: ut nimirum, communem ac generalem omnium curam gerens Deus, omnium ipse dominium imperiumque, pendente ab ipso omnium virtute ac firmamento, teneret; cum interim singularem functionem atque curam, præpositi ad hoc Angeli sustinerent. At vero cæteri quidem in ea statione perstiterunt, cujus gratia a Deo conditi, et in qua præfecti erant: Diabolus vero petulanter egit, et in eorum quæ sibi fuerant commissa, procuratione, concepta adversus nos invidia, pessimum sese præbuit. Quemadmodum et illi, qui postea corporum concupiscentia flagrantes, cum filiabus hominum stupri consuetudinem habuerunt[1]. Etenim quod hominibus, hoc et illis concessum, ut utrinque liberum haberent voluntatis consilium. Qui vero hoc accipiendum?

Per pelliceas tunicas mortem intelligit. Narrat enim de Adam, cum Deus omnipotens malum æternum ex insidiis dæmonis factum videret, et qualis erat impostor diabolus, fecisse pelliceas tunicas, quo velut mortali tunica ipsum indueret: ut nimirum corporis dissolutione intermoreretur, quicquid in eo mali productum esset.

Binas S. Paulo revelationes contigisse dicit. Neque enim Apostolus, inquit, paradisum in tertio cœlo collocat, si quis illius verba subtili intelligentia percipiat: « Scio enim, *in-*» *quit*, hujusmodi hominem raptum usque ad tertium cœ-» lum[2]. » Et, « Scio hujusmodi hominem, sive in corpore, » sive extra corpus (Deus scit), quoniam raptus est in para-» disum[3]. » Quibus verbis, duas se illustres revelationes vi-

[1] Genes. VI, 2. — [2] 2 Cor. XII, 2. — [3] Ibid.

disse significat; bis manifeste raptus : semel quidem usque ad tertium cœlum ; semel autem, in paradisum. Hæc enim verba : « Scio raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum ; » peculiare quiddam, cum ad tertium cœlum esset evectus, ostensum illi esse demonstrant. Illud vero quod subjicitur : « Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra » corpus; Deus scit; quoniam raptus est in paradisum : » aliud rursus in paradiso illi patefactum et revelatum ostendit. Hæc autem propterea dicit, quod contrarium sentientes, paradisum tantum spiritalem ponerent ex Apostolico dicto, velut supra cœlum, ut inde, futuram in paradiso vitam sine corpore concluderent.

Docet etiam, malum facere aut non facere, esse in nostra potestate : nam alioquin, nec pœnas lueremus pro male actis, nec præmia reciperemus pro meritis : at cogitare, vel non cogitare mala, non esse in nostra positum potestate. Quamobrem ait Paulum dicere : « Non enim quod » volo, hoc ago; sed quod nolo, hoc facio[1]. » Hoc est : Non quod volo cogitare, hoc cogito; sed quod nolo. Porro radicitus evulsum ait malæ cogitationis vitium, adveniente naturali morte : nam et ideo mors peccatori inflicta est, ne malum æternum foret. Cæterum qua id ratione intelligendum ? Sciendum hoc etiam ab aliis quoque Patribus fuisse traditum. Mors certe, per illud tempus quo quis illa defungitur, neque accessio peccatorum, neque substractio fuerit.

[1] Rom. VII, 15.

IV.

COMPENDIOSA EXPOSITIO

DICTORUM QUORUMDAM APOSTOLI

EX EODEM S. METHODII LIBRO.

Lecta est, ex eodem illius libro, compendiosa dictorum quorumdam Apostoli explanatio. Videamus vero quod primum in Apostolum dicere aggressi fueramus. Nam quod ait : « Ego autem vivebam sine lege aliquando [1], » quam olim in paradiso, in primis parentibus, ante præceptum, non corporis expertes, sed cum corpore, ducebamus vitam, significat, quemadmodum docuimus in superioribus : porro immunes agebamus a concupiscentia, ne ullo quidem modo insultus ejus vimque scientes. Etenim non habere ad cujus præscriptum vivas; neque explicandi jussi divini (quo pacto vivendum sit, ut vel debito præmio afficiaris, vel damneris) absolutam omnino potestatem; hoc ab omni crimine absolvit. Nam nemo concupierit quod non est vetitum : nec vero, etsi concupierit, crimini dabitur. Cupere enim, non in ea cadit, quæ cum præsentia sint in nostra potestate existunt : sed in ea, quæ quidem præsentia sunt, non tamen sunt in nostra potestate. Quomodo enim ejus quispiam desiderio exardescat, a quo non arcetur, et quod minime necessarium habeat? ideo igitur, « Con- » cupiscentiam nescivissem, nisi Lex dixisset : Non concu- » pisces [2]; » nam cum audivissent : « De ligno autem cog- » noscendi bonum et malum, non edetis de illo; qua die » autem comederis ex eo, morte moriemini [3] : » tunc con-

[1] Rom. VII, 9. — [2] Ibid., 7. — [3] Genes. II, 17.

coperunt concupiscentiam, improbeque ac instar prægnantis appetierunt. Ideo bene dictum est : « Concupiscentiam » nescivissem, nisi Lex dixisset : Non concupisces. » Neque desiderassem comedere, nisi fuisset dictum : « Non come- » detis ex eo. » Hinc enim peccatum mihi illudendi occasionem accepit. Dato enim mandato, habuit diabolus quo in me concupiscentiam operaretur. « Sine Lege enim peccatum » mortuum erat. » Velut dicat : nam cum data non esset Lex, peccatum inefficax erat et iners. Ego autem ante mandatum sine crimine vivebam, quippe qui præceptum, ex cujus ratione vita componenda esset, non habebam. « Sed » cum venisset mandatum, revixit. Ego autem mortuus » sum : et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vi- » tam, hoc esse ad mortem [1]. » Nam post latam a Deo Legem, et postquam accepi in mandatis, quid faciendum esset quove abstinendum, diabolus in me concupiscentiam operatus ea. Quod enim a Deo mandatum ad vitam et incorruptionem acceperam, ut illi obediens, virentem semper ad immortalitatem et gaudium vitam haberem, ex meo contemptu mihi cessit in mortem. Nam diabolus (quem hic Paulus peccatum appellavit, eo quod ipse architectus sit et auctor peccati), occasione a peccato accepta seducendi per inobedientiam, seductum occidit; sententiæque illius peregit reum : « In qua autem die comederitis ex eo, » morte moriemini. Itaque Lex quidem sancta, et mandatum » sanctum et justum et bonum [2] : » velut nimirum ad salutem, non ad exitium datum. Nihil enim a Deo inutile fieri credimus atque noxium. Quid ergo, « Quod bonum est, » mihi factum est mors? » Id nimirum, quod summi ac præcipui cujusdam boni causa futurum, mihi fuerat Lege præceptum? *Absit.* Neque enim Dei mandatum mihi causa fuit, ut corruptionis jugo manciparer, sed diabolus : ut palam

[1] Rom. VII, 9. — [2] Ibid. 12.

proderetur, qui per bonum mihi esset molitus malum; fieretque et convinceretur supra modum peccatori inventor peccati. « Scimus enim quia lex spiritalis est [1] : » quamobrem etiam nulli ipsius damni auctor extet. Spiritualia enim, procul a cupiditate aliena a ratione, et peccato consistunt. « Ego autem carnalis sum, venundatus sub pec» cato. » Quasi diceret : Ego autem carnalis sum, et in boni malique confinio, velut liberi arbitrii, positus; ut in mea sit potestate quid velim eligere. « Posui enim, *inquit*, ante » faciem tuam, vitam et mortem [2]. » Cum itaque annuissem, ut Legi quidem spiritali [mandato scilicet] non obsequerer; obsequerer vero legi carnali [serpentis nimirum consilio], ejus voluntatis reatu lapsus in peccatum, diabolo « venundatus sum. » Hinc malum obsidione cingens, mihi adhæresci; ac velut in domo in carne mea inhabitat; hac violati præcepti mulcta imposita, ut malo venderer. Unde et quod dicitur, » Non cognosco quod operor : » et, « Quod odi facio [3] : » non sic accipi debet, quasi de malo opere intelligatur, sed duntaxat de cogitatione. Non enim in nostra est potestate, ut cogitemus vel non cogitemus quæ absona sunt, sed ut utamur cogitatis, vel his non utamur. Non enim ne nobis istiusmodi cogitationes obrepant, quæ probandi nostri causa extrinsecus immittuntur, prohibere possumus; non assentiri tamen et non uti, possumus. Quocirca, istius generis ne velle quidem cogitare nostræ est potestatis : id autem assequi ut penitus aboleantur nec in animum ultra cogitationes ascendant, minime. Nam, ut dixi, haudquaquam id positum est in nostra facultate. Ut hæc sit illius loci sententia : « Non enim quod volo, facio bonum. » Volo enim minime cogitare quæ mihi noceant. Nam est hoc bonum immaculatissimum. Cæterum, « bonum illud quod volo, » non facio : quod autem nolo, ago malum : » qui nimirum

[1] Rom. VII, 14. — [2] Eccli. XV, 18. Jerem. XXI, 7. — [3] Rom. VII, 15.

nolim cogitare, et cogitem quæ nolo. Atque illud, quæso, videte, num eamdem ob causam David Deo supplicaret, ægre ferens, quod et ipse cogitaret, quæ minus vellet : « Ab » occultis, *inquit*, meis munda me, et ab alienis parce servo » tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, » et emundabor a peccato magno[1]. » Sed et Apostolus in Epistola alia : « Cogitationes destruentes, et omnem al- » titudinem, extollentem se adversus scientiam Dei ; et in » captivitatem rediguntes omnem intellectum in obsequium » Christi[2]. »

Quod si quis, his ita dictis refragari ausus, objiciat : haberi ex Apostolo, quod non solum cogitando, malum oderimus ; et quod nolumus, faciamus ; verum etiam ipso opere, eo quod dicat : « Non enim quod volo bonum, hoc facio : » sed quod nolo malum, hoc ago[3]. » Hunc sane, qui ita dicat et ratiocinetur, si modo vera dicit, explicare jubeamus, quodnam esset illud malum, quod cum Apostolus odisset, nec vellet facere, nihilominus faceret : aut illud e contrario bonum, quod cum vellet præstare, non posset : imo vero quoties patrare bonum vellet, non quod vellet bonum, sed malum quod nollet, patraret? Qua enim vero ratione, hortando ad excutiendum omnimode peccatum, « Imitatores » mei estote, sicut et ego Christi[4], » pronunciat ? Sic sane non in agendo quæ nollet, sed in sola cogitatione, præmissa docuit. Alioqui enim, quomodo ipse sedulus erat imitator Christi? Equidem optandum illud erat, lætitiæque plenissimum, ut adversarios nullos ac hostes haberemus : sed quoniam fieri istud non potest, hinc quoque est ut quod volumus, non possimus : volumus enim nullos habere, qui ad libidines vitiaque detrahant : nam esset ea salus sudoris expers : cæterum non evenit quod sic volumus, sed quod nolumus. Ut enim diximus, nos probari necesse est. Ne ergo,

[1] Psalm. XVIII, 13 — [2] 2 Cor. V. — [3] Rom. VII, 19. — [4] 1 Cor. XI, 1.

Anima, ne, rogo, malo cedamus : sed « assumentes armatu-» ram Dei, » qua protegamur et tuti simus, « justitiæ loricam » induamus; et calceamus pedes in præparatione Evangelii : » in omnibus autem assumamus scutum fidei, in quo possi-» mus omnia tela nequissimi ignea extinguere : et galeam sa-» lutis; et gladium spiritus, quod est verbum Dei [1] : ut pos-» simus stare adversus insidias diaboli [2] : cogitationes item » destruere, et omnem altitudinem extollentem se adversus » scientiam Christi [3]. Quoniam non est nobis colluctatio ad-» versus carnem et sanguinem [4]. Non enim quod volo bonum, » hoc ago, sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo, » illud facio; consentio Legi, quoniam bona est. Nunc au-» tem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me » peccatum. Scio enim quia non habitat in me (hoc est, in » carne mea) bonum [5]. » Præclare istud quidem. Meministis enim quod superius fuit constitutum : quemadmodum ex quo primus homo seductus, Dei mandatum violavit; inde, ex inobedientia ortum peccatum, sedem in eo posuerit. Sic enim seditio conflari cœpit : ac turbulentis agitationibus, cogitationibusque incongruis sumus repleti; divino scilicet afflatu vacui, rerumque in materia et corporearum, quam callidus nobis serpens insufflaret, cupidate pleni. Hinc Deus, mortem qua deleret peccatum, nostri causa excogitavit, ne in nobis immortalibus, quemadmodum dictum est, reflo-rescens, etiam ipsum immortale esset. Cum ergo ait Apos-tolus : « Scio enim quod non habitat in me (hoc est, in » carne mea) bonum : » peccatum voluit significare, quod ex illa divini mandati transgressione, per cupiditatem, in nos invectum est : ex quo, ceu novi quidam surculi, vo-luptariæ nos cogitationes, quasi agmine circumstant sem-per et obsident. Est enim in nobis duplex cogitationum

[1] Ephes. VI, 13-17. — [2] Ibid., II. — [3] 2 Cor. X, 4, 5. — [4] Ephes. VI, 12. — [5] Rom. VII, 15.

genus : aliud quod ex illa cupiditate latitante in corpore solet excitari; quæ nimirum, uti dicebam, a fraude artificioque procedit ejus spiritus, qui in materia existit. Aliud autem quod ex Lege mandati derivatur : ea nimirum, quam insitam et a natura ingenitam hausimus; in id animum excitantem ac provocantem, quod est honestum. Quo fit, ut mente quidem condelectemur Legi Dei. Hoc enim est homo ille interior : cupiditate autem, quæ habitat in carne, legi diaboli. Hæc enim ea lex est, cum divina pugnans, eique resistens; illi nimirum mentis in bonum impulsioni; quæ vitiosas et fæculentas, atque ad improbitatem dissipatas cogitationes producit.

Siquidem Apostolus, tres omnino leges hoc in loco distinxisse, manifeste videtur : Una illa est, juxta insitum nobis bonum, quam aperte legem mentis appellat. Altera est quæ ex nequissimi impressione conflata, in vitiosas sæpius cogitationes et phantasias animum conjicit; quam *legi mentis adversari* dixit. Tertia demum, quæ per peccatum ex cupiditate carni occalluit, quam ille *legem peccati habitantem in membris nostris* vocavit : cui etiam improbus ille hostis insidens, sæpe adversum nos excitat, atque ad injustitiam scelestaque fascinora compellit. Etenim in nobis ipsis, aliud esse videtur quod sit melius, aliud quod deterius sit. Cumque id quod natura melius, deteriori potentius esse debuerit, mens tota ipso impetu in bonum fertur. Cum autem id quod est pejus exuberans suo pondere depresserit, tum demum ex adverso in deteriores cogitationes animus præceps agitur ac trahitur. Atque ea causa est, cur Apostolus mortem quandam et exitium rem Arbitratus, liberari se optet; quemadmodum etiam Propheta, cum ait : « ab occultis meis munda me[1]. » Hoc enim verbum ipsa præ se ferunt. « Condelector enim, *inquit*, Legi Dei secundum in-

[1] Psalm. XVIII, 13.

» teriorem hominem : video autem aliam legem in membris » meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me » legi peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo ! » Quis me liberabit de corpore mortis hujus[1] ! » Quibus non corpus mortem pronuntiat, sed peccati legem quæ est in membris, in quibus a violato mandato velut latibulum habet, variisque imaginibus illudendo, ad injustitiæ mortem animum trahere non desinit. Statim ergo infert ; nimirum quæstionem dissolvens, ac declarans qua morte cuperet liberari, et a quo liberandus esset : « Gratia, *inquit*, Dei per » Jesum Christum. » Quippe diligenter animadversum volim, si corpus hoc, ut existimatis, o Aglaophon, mortem dixisset, fore ut nusquam Christi, tanquam sui postmodum ab ejusmodi malo liberatoris, mentionem faceret. Alioqui enim quid nobis singulare Christi adventu accessisset ? Ut quid vero etiam omnino Apostolus, quasi Christi præsentia confirmatus, ut Dei beneficio morte liberaretur, istud pronuntiasset ; cum omnibus, priusquam etiam Christus in mundum veniret, mori contingeret ? Itaque, non corpus hoc, o Aglaophon, mortem appellat : sed peccatum, quod per cupiditatem in corpore residet ; a quo Deus Christi adventu ipsum liberavit. « Lex enim spiritus vitæ in Christo » Jesu, liberavit nos a lege peccati et mortis : ut qui suscitavit Jesum a mortuis, propter inhabitantem Spiritum ejus » in nobis, vivificet et mortalia corpora nostra, damnato » peccato[2] » quod est in corpore, ad abolitionem : « Ut jus- » tificatio legis naturalis, » consentanea præcepto, qua trahimur in bonum velut recens accensa, novoque splendesceret lumine. *Etenim quod* naturalis *lex* nobis insita *præstare non poterat, qua parte imbecilla erat* (vincente insita corpori cupiditate), confirmavit corroboravitque Deus, filium suum mittens, carne assumpta simili carni peccati : ut ad-

[1] Rom VII, 22. — [2] Id. VIII, 2, 11 ; III.

judicato neci peccato, ne ullos amplius in carne fructus ederet, *justificatio legis* naturæ *impleretur*, obedientiæ merito iis exuberans, qui non ex carnis cupiditate, sed ex spiritus desiderio præscriptoque incederent. *Lex enim spiritus vitæ* [hoc est Evangelium] a superioribus legibus nova lex, per prædicationem, ad obedientiam ac peccatorum remissionem posita, a lege nos peccati et carnis, peccato quod in carne regnabat prorsus devicto, liberos fecit.

Plantas ait [Methodius] nec ali e terra nec augeri (8). Nam, inquit, dubitet quispiam, quomodo immutata terra, in tantam arborum amplitudinem assumi possit. Oportebat enim locum in quo arbor excrevit, circumjacente terra, exurgentibus radicibus in ligni naturam tota subducta, excavari. Quare inanis est illorum talis de corporum fluxu consideratio. Nam, quæso, qua ratione sese terra per radices in plantarum truncos insinuans, perque meatus in omnes earum distributa ramos, in folia et fructus commutatur? Sunt quidem proceræ arbores, cedrus, vel pinus vel abietes, vimque magnam frondium atque fructuum quotannis ferunt: plane tamen perspicuum est, nihil eas de subjecta terra in sylvescentis substantiæ molem insumere. Oportebat enim, si vere a radicibus ascendens terra, lignesceret, ut omnis circumquaque locus cavaretur, quod nequeat corpus aridum, instar substantiæ humidæ, ad id quod movetur et cedit loco, continuo velut affluxu contendere. Jam vero etiam caprificos videmus, aliasque ejusmodi stirpes, extructis monumentis sic adnascere, ut nihil omnino ædificii ac maceriæ in seipsas convertant. Si quis sane longo annorum curriculo editos fructus foliaque colligere statuerit, multis partibus auctiorem molem, terra monumentis aggesta, perspiciet. Absurdissimum ergo est ut existimemus, terram in fructuum ubertatem foliaque consumi; quanquam omnia per hanc fiant, ipsa sedem et locum præstante. Nam neque panis sine mola

fit, sine loco, sine tempore et igni : nec tamen horum aliquid est aut fit panis. Quod ipsum in sexcentis aliis contingit.

Hoc Pauli : « Scimus enim quoniam si terrestris domus »nostra tabernaculi dissolvatur[1], » etc., Origenistæ ad tollendam corporum resurrectionem proferunt; dicentes, tabernaculum esse corpus; domum autem non manufactam in cœlis, quæ illi comminiscuntur spiritalia indumenta. Hinc dicit S. Methodius, per terrestrem domum, brevem hanc vitam vocis abusu intelligendam; non vero esse hoc tabernaculum. Si enim, inquit, per terrestrem domum dissolvendam, corpus nostrum ab eo intelligi existimatis quid tabernaculum sit, docete, cujus domus sit dissolvenda? Aliud enim est tabernaculum, aliud tabernaculi domus atque aliud nos, quorum est tabernaculum. « Si enim, *inquit*, »terrestris domus nostra tabernaculi dissolvatur : » ac si nimirum nos, Animas : tabernaculum autem, corpus : tabernaculi vero domum, carnis usuram in vita præsenti, per translationem sensuque spiritali significaverit. Si ergo vita hæc domum corporis, instar domus dissolvatur, habituri sumus non manufactam in cœlis. Vocat *non manufactam*, distinctionis causa, quod scilicet vita hæc, ideo manufacta dicatur, quod omnis ejus cultus et studia, hominum manibus administrentur atque gerantur. Nam corpus, cum sit Dei opificium, non dicitur manufactum, quod non sit arte humana manibus efformatum. Quod si ideo corpus dixerint manufactum, quod illud Deus sit operatus; plane sequitur, ut et Animæ, et Angeli, ipsaque in cœlis spiritalia indumenta, manufacta dicantur. Nam et illa Dei propria opera ejusque res fabricæ existunt. Quæ est ergo domus manufacta? Utique brevis hæc vita, quemadmodum dicebam, humanis manibus velut effecta et sustentata : « In sudore »enim, *inquit*, vultus tui, vesceris pane tuo[2] : » qua disso-

[1] 2 Cor. v, 1. — [2] Genes. III, 19.

luta, immortalem illam vitam, non manufactam nanciscemur : quemadmodum ipse Dominus declaravit, cum dixit : « Facite vobis amicos de mammona iniquo, ut cum defe-» ceritis, recipiant vos in æterna tabernacula[1]. » Quod enim illic Dominus, *tabernacula*, vocavit; hic Apostolus vocat, *indumenta* : quod illic *amicos de iniquitate*, hic Apostolus, *domos dissolvendas*. Quemadmodum ergo, cum præsentis vitæ nostræ dies defecerint, animas nostra sunt acceptura beneficentiæ merita, si quæ iniqua hac vita comparavimus; eo iniqua, quod « mundus sit positus in maligno[2] : » ita cito peritura vita hac dissoluta, habitationem apud Deum, quæ est ante resurrectionem, ipsi, hoc est Animæ, sumus habituri, donec instauratam nobis domum quæ nunquam ruinam factura est, recipiamus. « Unde et ingemiscimus, eo » quod nolumus expoliari » corpus, sed et illo retento, vitam reliquam *supervestiri*[3]. Illud enim « de cœlo domicilium, quod » superindui cupimus, » immortalitas est : quam cum superinduti fuerimus, *absorbebitur* penitus, quidquid in ea infirmum est et *mortale*, *ab* æterna *vita* consumptum. « Per » fidem enim ambulamus, et non per speciem[4]. Hoc est; Nam adhuc per fidem incedimus, statum illum obscurissima consideratione speculantes, et non clare; ita ut videre, frui, et esse in illo videamur. « Hoc autem dico, Fra-» tres; quia caro et sanguis regnum Dei possidere non pos-» sunt; neque corruptio incorruptionem possidebit[5]. » Carnis nomine, non ipsam carnem significavit, sed qui sine ratione est, appetitum in lascivas animæ voluptates. Ubi ergo dixisset, « Quod caro et sanguis regnum Dei possidere non pos-» sunt; » consequenter pronuntiavit; « Neque corruptio in-» corruptionem possidebit. » Atqui corruptio, non res ipsa est quæ corrumpitur, sed id quod corrumpit. Sane corpus

[1] Luc. xvi, 9. — [2] 1 Joan. v, 19. — [3] 2 Cor. v, 2, 3. — [4] Ibid. 7. — [5] 1 Cor. xv, 50.

mortis majore vi, vergit in corruptionem : e contra vero, permanente in eo vita, illibatum consistit. Quare cum caro inter confinia corruptionis et incorruptionis (ac nec corruptio nec incorruptio) condita esset, victa vero voluptatis lenocinio ac libidine, tametsi incorruptionis opus et possessio, a corruptione fuisset, propterea corruptioni mancipata est. Quodque adeo victa fuerat a corruptione ac morti propter castigationem tradita, haudquaquam morti in victoriam quasi hæreditatem dereliquit : sed victa rursum morte per resurrectionem, incorruptioni reddidit, ne corruptio, incorruptionem; sed magis incorruptio, corruptibile in hæreditatem acciperet. Ad hæc itaque respondet Apostolus : « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; »et mortale, immortalitatem [1]. » Corruptibile autem et mortale induere immortalitatem et incorruptionem, quid aliud sit, quam ut quod « seminatur in corruptione, surgat »in incorruptione? ut sicut portavimus imaginem terreni, »portemus et imaginem cœlestis [2]. » Nam imago terreni quam portavimus, illud est : « Terra es, et in terram re»verteris [3]. » Imago autem cœlestis, resurrectio ex mortuis et incorruptio existit (9).

Justinus vero Neapolitanus, vir haud longe ab Apostolorum temporibus et virtutibus remotus : Quod quidem mortale est, possideri dicit; vitam autem, possidere. Et carnem quidem mori; cœlorum autem regnum, vivere. Cum itaque ait Paulus; « Non posse carnem et sanguinem re»gnum Dei possidere [4]; » non hoc, inquit, dicit, ut carnis regenerationem videatur negare; sed ut doceat, non possideri regnum Dei, quod est vita æterna, a corpore; sed corpus a vita. Si enim regnum Dei, cum sit vita, a corpore possideretur absorberi vitam a corruptione contineret. Nunc contra, quod est mortuum a vita possidetur, ut mors

[1] 1 Cor. xv, 53. — [2] Ibid. 49. — [3] Genes. III, 19. — [4] 1 Cor. xv, 50.

in victoria absorbeatur a vita; ac corruptibile incorruptionis possessio cedat; liberatum quidem a morte et peccato, immortalitati vero subjectum ac mancipatum; ut corpus quidem, sit incorruptionis; non incorruptio corporis.

Illud, « Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primum, deinde nos qui vivimus[1], » sic edisserit S. Methodius : hoc est : ipsa nostra hæc corpora : nos enim qui vivimus, animæ sumus, qui resumimus excitata a terra corpora mortua, ut in occursum Domini, una cum illis rapti, gloriose ipsi celebremus festum resurrectionis : ea ratione quod æterna nostra tabernacula, nunquam amplius interitura vel dissolvenda, receperimus.

Vidi, inquit, in Olympo monte Lyciæ, ignem sponte sua in montis cacumine enascentem; juxta quem stirps, Pyragnus nomine existit, adeo florida et virens ac opaca, ut desub fonte potius nata videatur. Quam igitur ob causam, cum naturæ corruptibiles sint, et corpora ab igne consumantur; hæc tamen stirps, non modo non exuritur, sed etiam magis efflorescit, tametsi ejus naturæ est, quæ exuri facile possit, præsertim cum ad ejus radices latitet ignis? Ramos ergo ex circumjacentis sylvæ arboribus, in ignem illic erumpentem conjeci, qui subito flammis correpti in cinerem redacti sunt. Quid ergo sibi vult hoc miraculum? Signum et indicium futuræ diei Deus hoc exhibuit, ut sciamus, corpora quæ castitate justisque moribus claruerint, igne omnia obruente ac consumente, in igne, haud secus ac in aqua frigida, incessura esse (10).

Vide, inquit, num B. Joannes, cum dicit : « Dedit mare »mortuos suos, qui in eo erant : et mors et infernus dede»runt mortuos suos, qui in ipsis erant[2] : » partes ab elementis redditas ad uniuscujusque reparationem, ostenderit? Ut mare quidem, intelligatur substantia humida : infernus au-

[1] 1 Thess. IV, 16. — [2] Apoc. XX, 11.

tem, aer, quod obscurus sit, nec oculis aspectabilis, quemadmodum Origenes ipse explicat : mors denique, terra accipiatur, eo quod cadaver in ea reponatur : unde et *pulvis mortis* appellatur in Psalmis, Christo dicente, « se in pulvere mortis deductum esse [1]. »

Quidquid enim, inquit, ex puro aere et puro igne componitur, ejusdemque cum angelicis concretionibus et corporibus substantiæ est, haudquaquam terræ et aquæ præditum qualitate est; nam alioqui ipsum quoque terrestre esset. Tale et talibus constans, resurrecturum corpus finxit Origenes, quod etiam spirituale appellavit.

Atqui, inquit, quæ tandem ac qualis erit resurgentis figura, si omnino forma hæc humana, tanquam inutilis ejus sententia abolenda sit? Forma nimirum præ cunctis longe amabilis, quæ in animalia concrescunt: qua et Deus ipse imagine utitur, ut et sapientissimus Paulus explicat : « Vir » quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et » gloria Dei est [2] : » ad quod etiam, intelligendi facultate prædita Angelorum corpora, exornata sunt et digesta. Num ergo figura ejusmodi rotundior erit, aut multangula, vel cubica, ut pyramidalis? Variæ enim sunt figurarum species : sed est hoc impossibile. Ecqua vero distributio, ut forma quidem Dei similis (similem enim animam esse corpori ipse quoque fatetur) quasi ignobilior abjiciatur; resurgat vero homo, qui pedibus ac manibus careat?

Transformatio, inquit, est in statum immunem a passione ac gloriosum, in integrum restitutio. Nunc quippe *corpus* desiderii est, et *humilitatis* [3] : unde et Daniel *vir desideriorum* appellatus est [4] : tunc autem, transfigurabitur in corpus impassibile; non mutato membrorum ornatu, sed corporalium voluptatum extincto desiderio.

Tum ait, coarguens Origenem : Existimat itaque Orige-

[1] Psalm. XXI, 16. — [2] Cor. XI, 17. — [3] Philip. III, 21. — [4] Dan. IX, 23.

nes, non eamdem animæ carnem instauratum iri; sed fore, ut qualis est singulorum forma in specie, quæ et modo carnem velut obsignat atque distinguit, spiritali alii corpori impressa, resurgat; ut iterum idem quisque secundum speciem formamque appareat : atque hanc esse promissam nobis resurrectionem. Cum enim, inquit, corpus quod est in materia fluxum sit, neque in seipso unquam consistat, sed decedat accedatque, circa speciem distinguentem formam, qua etiam figura continetur; necessario plane conficitur, ut resurrectio sola specie et forma fiat.

Deinde post pauca dicit : Si igitur, o Origenes, resurrectionem sola specie et forma, in spiritale corpus mutata expectandam contendis, et visionem Eliæ et Mosis, pro certissima nobis demonstratione exhibes : quemadmodum illi, inquis, post mortem, non alia quam viventes olim habebant, specie formaque apparuerunt; ita et nos omnes resurgemus : atqui Moses Eliasque, jam ante Christi passionem ac resurrectionem, formam hanc, quam ais, habentes, resurrexerunt et apparuerunt : qua ergo ratione Christus *primogenitus mortuorum*[1] Prophetico Apostolicoque præconio celebratur? Nam si Christus primogenitus mortuorum creditus est, est vero primogenitus mortuorum, qui omnes resurgendo præcessit; Moses autem jam ante Christi passionem ea forma Apostolis visus est, in qua resurrectionem implendam esse dicis; utique sequitur, formam non resurrecturam esse sine carne. Nam vel resurrectio, solius, ut doces, formæ est; ac proinde nequit jam Christus esse primogenitus mortuorum, quod ea forma ante ipsum apparuerint defunctorum animæ : aut revera primogenitus est, ut est; tumque, nullo prorsus modo fieri potest, ut aliqui ante ipsum, eam consecuti sint resurrectionem, qui non amplius morituri essent. Quod si nemo ante illum resur-

[1] Apoc. I, 5.

rexit; Moses autem et Elias non induti carnem, sed sola præditi forma apparuerunt Apostolis; perspicue liquet futuram in carne resurrectionem. Enimvero absurdissimum est, ut sola forma resurrectio definiatur, cum palam sit, animas, postquam etiam egressæ sunt e carne, speciem illam formamque, quam ait resurrecturam, nunquam deponere. Quod si hæc quæ auferri non possit, ut in Mosis anima et Eliæ, illis semper præsto est : ac neque ut existimas, unquam corrumpitur aut perit, omni loco indivise cohærens : palam est, formam quæ non cecidit, minime resurrecturam esse.

Quod si quis indigne ferens, dicat : Si nemo, priusquam Christus ad inferos descenderet, resurrexit; quomodo referuntur aliqui ante ipsum resurrexisse; inter quos filius viduæ Sareptanæ [1], et Sunamitidis filius [2], itemque Lazarus [3] ? Respondendum : ita resurrexisse, ut iterum essent morituri : Nos autem de iis pronuntiamus, qui post resurrectionem nunquam sunt morituri. Quod si etiam de anima Eliæ dubius dixerit; quasi Scripturis affirmantibus illum in carne assumptum esse, nos autem doceamus illum Apostolis absque carne apparuisse, respondendum : Atqui, quod apparuisse Apostolis in carne dicamus, huic nostræ sententiæ magis favet. Ea enim res etiam corpus nostrum capax esse immortalitatis probat, sicut et fuit probatum in eo, quod Enoch translatus est [4]. Si enim incorruptionis capax non esset, haudquaquam tanto tempore immune a corruptionis labe mansisset. Siquidem ergo apparuit cum corpore; eratque mortuus; at non velut jam ex mortuis resurrexisset. Et hæc ut demus aliquid Origeni, qui ipsam per se formam, post mortem a corpore sejunctam, reddi animæ dicit, quod præ omnibus minus videtur possibile; eo quod in alterationi-

[1] 3 Reg. XVII, 22. — [2] 4 Reg. IV, 35. — [3] Joan. XI, 44. — [4] Genes. V, 24.

bus, prior forma quam carnes corrumpatur; ut et figura fusæ statuæ, priusquam totum dissolutione intereat : non enim potest qualitas a materia separari, ita ut per se existat. Separatur quidem a fusa statua, quæ in ære est, deleta forma, sic tamen ut non amplius secundum substantiam subsistat.

Quia vero forma a carne in morte separari dicitur; age, quot modis unum ab altero separari dicatur, videamus. Dicitur ergo unum ab alio separari, vel actu ac substantia, vel cogitatione : vel actu, non item substantia. Ut si quis triticum et hordeum mixta inter se secernat : quatenus quidem per motum separantur, dicitur separatio actu atque re; quatenus vero separata seorsim subsistunt, dicitur separatio substantia. Cogitatione autem et ratione, velut si materiam a qualitatibus separemus, ac qualitates a materia. Actu denique, at non substantia, cum quod ab alio fuerit separatum, non amplius ut vere existat, habet. Hæc autem qua se ratione etiam in mechanicis habeant, intelliget, quisquis statuam, aut equum ære fusum aspexerit. Videbit enim, si modo advertat animum, immutari formam quæ erat ex natura, inque aliam figuram, qua deleatur forma congenita, transferri. Si quis enim signa in hominis aut equi figuram effigiata conflaverit; formæ quidem figuram extinctam, materiam vero superstitem invenerit. Itaque absurdum est, ut quis formam, quæ in nihilum cessit, resurrecturam dicat; corpus vero cui illa esset impressa corruptum iri contenderit.

Maxime enimvero, inquit : transferetur enim in corpus spiritale. Ergo fateri necesse est, eamdem proprie formam primam non resurgere, eo quod una cum carne mutata corrupta sit. Et si enim in spiritale corpus translata sit, ipsa tamen eadem, primum proprie subjectum non erit, sed quædam illius in subtili corpore transformata similitudo. Sic

autem, non eadem forma, nec idem corpus resurget, sed aliud pro alio. Nam simile, cum sit aliud ab eo quod ei simile est, illud ipsum primum, ad quod factum est et quod imitatur, esse non potest.

Ait εἶδος (formam scilicet) esse, quod membrorum identitatem in figura formæ, propriisque uniuscujusque distinguentibus, exhibet.

Exponente Origene sensu allegorico, quod ab Ezechiele Propheta dictum fuit de resurrectione, atque ad Israelitarum e Babylonica captivitate reditum detorquente, post multa, cum arguens Sanctus, hoc adjicit : Ac neque ipsi Judæi, plenam sinceramque libertatem assecuti sunt; neque majori potestate devictis hostibus, Jerosolymam incoluerunt : ac cum sæpius statuissent templum ædificare, ab aliis gentibus prohibiti sunt. Unde etiam vix illud intra annos quadraginta sex ædificare potuerunt, cum Salomon annis septem a fundamentis excitatum perfecisset. Quid vero necesse sit plura dicere, cum a Nabuchodonosore et successoribus ejus in Babylone, usque ad Persarum in Assyrios expeditionem, et Alexandri imperium, et bellum cum Romanis commissum, sexies ab hostibus Jerosolyma in potestatem redacta sit? Narratque Josephus, dicens : « Capta » est Jerosolyma anno secundo Vespasiani Imperatoris : capta » et ante jam quinquies; tunc iterum vastata est. Asochæus » enim Ægypti rex, et hujus successor Antiochus, deinde » Pompeius, et post hos cum Herode Socius, captam urbem » servavere; cum ante rex Babyloniorum ejus potius ipsam » excidisset. »

Hæc, inquit, ait Origenes. Atqui potest moveri quæstio de Lazaro et divite. Aliis quidem simplicius dictum putantibus, quasi ambo in corporibus, digna factis in vita receperint; aliis autem subtilius : cum post resurrectionem nullus in vita relinquatur : non existimantibus hæc in resurrec-

tione contigisse. Nam ait dives : « Habeo quinque fratres : ne » et ipsi veniant in hunc locum tormentorum, mitte Laza- » rum [1], » ut illis denuntiet quæ hic fiunt. Atque adeo si quæramus linguam illam et digitum, sinumque Abrahæ et recubitum; forte vero et quam statim a morte, crasso huic et terreno corpori similem formam, anima induit; sic potest intelligi. Si quando igitur historiis proditum est, apparuisse aliquem mortuum, simili forma ac dum versaretur, in carne apparuit. Præterea : sed et Samuel apparens [2], velut oculis conspicuus, indutum se corpus ostendit : præsertim si argumentis urgeamur fateri, animæ substantiam incorpoream esse atque eamdem suique nihil dissimilem. Quin et dives ipse pœnas luens, et pauper in sinu Abrahæ, ante Salvatoris adventum sæculique consummationem, atque adeo ante resurrectionem, quiete potitus; quod alter puniri in inferno, alter in sinu Abrahæ dicatur requiescere, id docent; etiam modo, statim a migratione, uti animam corpore. Ad quæ ita vir sanctus respondet : docens, habere animam ubi a corpore migravit, formam aliam, huic quæ sensu percipitur, specie ac habitu similem.

Quorsum vero animam, inquit, platonice incorpoream (Origenes) definit? Quæ enim post etiam excessum e vita vehiculo egeat et veste, velut nuda comprehendi non possit aut teneri, quomodo non ipsa per se incorporea existat? Incorporea vero cum sit, quomodo non etiam ab omni sit passione immunis? Consequuntur enim, incorpoream esse, et non posse affici ac perturbari. Si nulla ergo ratione alieno a ratione appetitu trahebatur, plane nec dolentis corporis patientisque sensu ullo immutabatur. Nunquam enim quod vacat corpore, una cum corpore; ac nec corpus, una cum eo quod illo vacat, affici habuerit; ut ita sane consentanee dictis incorporea videri possit. Sin autem una cum corpore

[1] Luc. XVI, 28. — [2] 1 Reg. XXVIII, 12.

patiatur, ut eorum qui apparuerunt testimonia probant, plane incorporea esse nequit. Ergo solus Deus natura ingenita, nullius egens ac indefessa celebratur; velut eo invisibilis, quod incorporeus existit. Nam *Deum nemo vidit.* Animæ vero ab omnium auctore ac patre corpora intelligendi facultate prædita editæ, in membra rationis oculo aspectabilia, digestæ sunt, ejuscemodi delineatione accepta (11): unde et apud inferos, ut et in Lazaro et divite videre est, linguam et digitum, et alia membra referuntur habere; non quod alienum corpus illis comes existat informe, sed quod ipsæ animæ, ab omni tegumento nudatæ, natura sua et secundum substantiam sint tales.

Addit in fine vir sanctus : Id quod dictum est : « In hoc » Christus mortuus est, ut mortuorum et vivorum domine» tur [1], » de animabus et corporibus accipiendum esse : vivis scilicet animabus, utpote immortalibus; mortuis vero corporibus.

Cum, inquit, humanum corpus, aliorum animalium corporibus sit nobilius, velut quod Dei manibus dicatur formatum; habeatque ut animæ rationalis, quæ cunctis nobilior est, sit vehiculum : quomodo ipsum quidem tam brevis est ævi, cum brutorum quorumdam corpora, vitæ sint multo longioris? Num palam, quod a resurrectione substantia ejus longæva futura est?

[1] Rom. XIV, 9.

EX LIBRO

SANCTI METHODII

DE CREATIS

EXCERPTA[1].

(*EX EODEM PHOTIO.*)

Lecta sunt ex sancto Methodio, episcopo et martyre, per compendium, excerpta de Creatis. Illud Christi : « Nolite » projicere sanctum canibus, neque margaritas vestras ante » porcos[2] : » sic exponente Origene; ut margaritas quidem sanctiora divinitus traditæ religionis documenta; porcos autem, homines velit, qui adhuc in omnis generis impietatis et voluptatis cœno instar porcorum volutentur : iis enim docuit, prohibuisse Christum, projici divina mysteria, ut qui ea ferre non possent, qua pridem laborabant impietate, feris voluptatibus obnoxii : ait magnus Methodius : Si margaritas oportet intelligi honestatis plenas, divinasque præceptiones, porcos autem homines impietati ac voluptatibus deditos, quibus apostolicæ prædicationis doctrina ad pietatem fidemque in Christum excitans ducensque non esset proponenda, sed celanda; videsis, ne quemquam dicas apostolicis prædicationibus a prioris vitæ conversatione

[1] Ex eod. Max. Bibl. Patr. tom. III, pag. 712 et seq.

[2] Matth. VII, 6.

esse conversum : neque enim ulla ii ratione Christi sacramenta illis objecissent, qui propter infidelitatem porcis similes essent (12). Aut ergo Græcis omnibus aliisque infidelibus mysteria hæc a Christi discipulis sunt proposita et prædicata : eosque ab impietate ad Christi fidem converterunt : quemadmodum etiam nos credimus ac confitemur : illudque : « Nolite projicere margaritas vestras ante porcos, » non potest amplius ita accipi, ut dictum est : aut si hoc ita accipiamus, ut dicebamus, necesse est ut dicamus, neminem infidelium, quos porcis comparamus, per apostolica documenta instar margaritarum animas illuminantia, fidem in Christum, et ut ab impietate liberarentur, nactos esse. Atqui blasphemum est istud dicere : ergo margaritæ hoc loco non sunt accipiendæ sacratiores doctrinæ; et porci, homines impii : neque illud : « Nolite projicere margaritas » vestras ante porcos, » sic explicandum est, ut impiis ac infidelibus mystica ac fidei in Christum consummativa documenta proponi prohibeat : sed margaritas, virtutes exponamus necesse est, quibus velut margaritis pretiosis ornatur animus. Hasque adeo porcis non projiciamus : hoc est, virtutes ipsas, verbi gratia, castimoniam, temperantiam, justitiam, veritatem : ejusmodi, inquam, impuris voluptatibus non abjiciamus : ne illis adesis, porcorum similem vitam longeque libidinosam ducere, præstent animam.

Origenes inquit (quem Centaurum vocat) universum hoc, soli sapienti nulliusque egenti Deo, coæternum asseruit. Nam ait : Cum non sit opifex sine opificio, nec creator sine creatura, neque universalis Dominus sine subjecta universitate; quippe necesse est ut opifex ab opificio, creator a creatura, universalis Dominus, ab universitate subjecta nominetur; sequitur necessario hæc Deum a principio creasse, nec ullum tempus esse, in quo illa non essent. Nam si fuit quando creaturæ non erant, cum creaturis non existenti-

bus, neque etiam sit Creator, vide quanta sequatur impietas. Quin et alterum altero mutari ac variari continget, immutabilem Deum ac invariabilem. Si enim tandem aliquando creavit universum, haud dubie ab eo quod est non creare, mutato consilio ad creandum transivit. Hoc autem absurdum est, cum iis quæ dicta sunt; non ergo fieri potest, quin hanc rerum universitatem æternam, ac Deo coæternam, dicamus. Ad quem vir sanctus ex alterius persona interrogans, Deumne essentialiter principium fontemque existimas sapientiæ gloriæque, ac summa, virtutis omnis, non tanquam id partum habeat ac comparabile? Sane, inquit. Ad hæc vero : Numquid a se omnino Deus perfectus ac nullius indigens? A se profecto. Fieri enim non potest, ut quod ipsum nullius eget propter aliud quid nullius egeat. Quidquid enim alio auctore plenum est, ut ipsum imperfectum dicatur necesse est. Quod enim ipsum ex seipso sua plenitudo, ipsumque in seipso manet, unum hoc duntaxat perfectum existimandum est. Verissime censes. Quod vero nec ipsum sui ratione, nec sua ipsum plenitudo est, nullius egere dixeris? Minime gentium. Non ergo Deus propter aliud perfectus existimabitur. Nam quod perfectum est propter aliud, ipsum a seipso imperfectum esse necesse est. Igitur etiam Deus, ipse a seipso perfectus putabitur non propter aliud? Recte omnino. Aliudne Deus a mundo, atque aliud mundus a Deo? Plane aliud. Num igitur Deus propter mundum perfectus et Opifex et universalis Dominus dicendus est? Nequaquam. Quo nimirum ipse propter se, non propter mundum (præsertim mutationi obnoxium) perfectus inveniatur? Congrue vero. Quid porro dives? Num propter divitias dives appellandus est? Recte. Sapiens quoque per commercium substantialis sapientiæ, non ipse sapientia existens, sapiens appellandus est? Ita sane. Num ergo et Deus, qui sit aliud a mundo, ea ratione propter mundum

dives et beneficus et opifex vocandus sit? Nequaquam. Age : ipse igitur suæ divitiæ est, et a seipso dives ac potens est? Ita videtur. Erat igitur et ante mundum omnino nullius egens, qui et pater et universalis Dominus atque opifex esset; quo scilicet ipse per seipsum illa sit, non ab alio hæc esse accipiat? Sic certe necesse est. Si enim propter mundum, non propter se, qui sit alius a mundo, universorum Dominus intelligeretur (pace tua Deus; nam invitus hæc loquor), ipse per se imperfectus esset, atque his indigeret, quorum ratione universalis Dominus atque opifex divine est. Non ergo admittenda perniciosa hæc licentia, qua de Deo asserat : non ipsum propter se, sed propter ea quorum dominio pollet, et creata sunt, ac mutabilia, universalem Dominum ac Creatorem esse.

Sed et vide. Si postea mundum creatum esse dicis, cum prius non esset, necesse est Deum mutari, qui ab omni labe omnique mutatione immunis est. Num vero qui prius nihil faciens, postea ab otio ad actum transeat, mutatione subjacere ac alterationi necesse est? Dicebam enim : Quievitne Deus a mundi fabrica, necne? Sane quievit, alioqui enim necdum is perfectus esset. Ita est. Si ergo, quod Deus creet cum non crearet, in eo mutationem affert, non creare cum crearet, numquid non afferet? Ita prorsus. Mutatum itaque dicas, quod non creet hodie, ab eo quod aliquando creabat? Nequaquam. Neque ergo tunc mutatum esse necesse est, cum creavit, qui ante non crearet. Hincque adeo nihil necesse erit, ut rerum hanc universitatem illi coexistere dicamus, ne mutationem cogamur admittere, quando hæc ipsa ratio coæternitatis est.

Sed et hoc responde. Genitumne dicas, quod creationis ortusque non habet principium? Haud puto : nisi enim generationis ortusque principio subjacet, necessario ingenitum est. Quod si genitum est, plane concedis aliquo auctore

genitum esse : prorsus enim impossibile est, esse genesim, nullo ejus auctore? Sane impossibile. Mundumne ergo, et quæcumque in illo sunt, alio quam Deo opifice, cum antea non essent, dicemus ortum habuisse? Palam est, non alio quam Deo. Num vero quod ortus principio coercitum est pari infinitum ratione est, cum eo, cui nullos est assignare fines? Haud plane. Iterum ergo disputationis principium resumamus, o Centaure. Ea quæ sunt, divina creata scientia dicitis, necne? Apage, dicent : nequaquam. Num igitur ex elementis, aut materia, vel fulcimentis, aut quibus hæc verbis appellare libuerit? Nam nihil interest, cum illa nullo ortu præexisterent et temere ferrentur, secernens Deus fabricatus est universa, ac si præstantissimus pictor formam unam ac imaginem ex multis coloribus expresserit. Neque ita, inquient. Omnino enim adversum seipsos istud fateri cavebunt; ne dato habuisse materiam distinctionis principium et transformationis, necessaria ratione admittere cogantur, cœpisse Deum omnino gubernare, et materiam, quæ prius informis esset, perornare.

Age vero, quoniam Deo propitio in hunc locum dicendo pervenimus. Ponamus statuam, in sua basi collocatam; elegantem nimirum, cujus concinnam pulchritudinem spectatores mirantes, dissentiant, dum alii factam contendunt, alii non factam. Quæsierim ego ab eis : Quamobrem dicitis non factam? An propter artificem, ut ne unquam vacasse ab opere existimetur, vel propter ipsammet statuam? Siquidem vero propter artificem, quanam illa ratione, cum sit ingenita, effingitur ab artifice? Si enim omnino necessariam habet metallariam artem, ut recipiat quamcumque Artifex figuram malit, qua ratione erit ingenita, quæ et patiatur ab artifice, et fiat? Sin autem rursus, velut a seipsa absolutionem habens, et infecta ac ingenita (cujusmodi est perniciosa vestra sententia), dicatur non habere

artem necessariam; necessum est, ut rerum a se et casu, ortum fateamini. Vel certe, ne hunc quidem admittentes sermonem, absurdius responsuri sunt: Statuam quidem non esse ingenitam: esse vero genitum ejusmodi, quod ortus et principium nullum habeat, quo scilicet artifex ab æterno tenere dicatur, quod molitur opus, ac subjectum habere. At, heus vos, dicemus, si neque tempus, neque ullum retro sæculum reperiatur, quando statua perfecta non erat, quid, rogo, illi Artifex præstitit, quidve in illa egit? Nam si illa nullius egens, nulloque ortus principio existit; sic magis, ut vos sentitis, mundi auctor nunquam condidisse aut condere invenietur. Atque ita rursus in idem revoluta oratio, artefactum a casu extitisse fateri coget. Si enim Artifex vel levissime statuam movisse admittatur, plane subjacebit principio; quatenus informem prius atque immobilem, movere atque ornare cœpit. Non igitur idem ei erat, nec in perpetuum futurus est mundus. Deo enim artifex comparari debet, et statua mundo. Quomodo igitur, o stupidissimi, creaturam existimatis Creatori coæternam, ejus opera non indigere? Quod enim est coæternum, cum nulla ratione habeat creationis ortusque principium, necessario etiam coingenitum fuerit parique potentia præditum. Porro, quod semel ingenitum, atque se perfectum et immutabile visum sit, nullius etiam egens, et immune a corruptione extiterit, atque adeo, dum se res ita habeat, mundus in vestra sententia ab omni immunis mutatione erit.

Ecclesiam, ab appellandis, ac quasi ad certamen vocandis voluptatibus, dictam ait.

Ait Sanctus: Duas porro, in iis quæ jam evicimus, ac sunt explorata, Virtutes effectrices statuimus: alteram quidem, quæ ex nihilo, nuda voluntate, sine mora, simul atque vult, omnia faciat, quæ velit. Est autem Virtus illa Pater: Alteram vero, quæ ad prioris imitationem perficiat,

distinguatque ac perpoliat, quod jam perfectum est. Et hic Filius est, omnipotens illa firmaque Patris manus, qua materiam ex nihilo prius creatam, postmodum exornat ac perficit (13).

Ait sanctus, librum Job esse Mosis. Ait præterea super illis verbis, « In principio creavit cœlum et terram [1] : » Non erraverit, qui *principium* sapientiam esse dixerit. Sic enim apud quendam e sacro cœtu, fertur ipsa de se loqui, « Do» minus creavit me initium viarum suarum, in opera sua; » ante sæculum fundavit me [2]. » Par enim longe decentius erat ut quam ortu producta sunt omnia illa posteriora essent (14); quippe cum etiam per ipsam sint facta. Nam vide num et illud Evangelicum, « In principio erat Verbum, » et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : Hoc » erat in principio apud Deum [3], » se istis consentanee habeat. Principium enim fuerit, universarum Pater ac Creator ex quo germinavit, quod erat in ipso, Verbum rectissimum. Illud autem, *Hoc erat in principio apud Deum :* Verbi principatum, quem apud Patrem, priusquam mundus crearetur, liberum habuit, significare videtur, velut ἀρχὴν potestatem dicat ac principatum. Post ergo singulare illud Principium absque principio qui est Pater, fit ipsum aliorum Principium, per quod omnia creantur.

Origenes, inquit, postquam multa commentus esset de universi æternitate, etiam hoc addit. Neque ergo ab Adam, ut quidam affirmant, cum prius non esset, homo, tunc omnium primus formatus, in mundum processit. Neque mundus rursum, ante sex dies, quam crearetur Adam, cœpit fieri. Quod si quis hac in parte dissideat, ambigatque; prius cedat, Num ita accipientibus, facile ad Mosaici libri rationem, numeretur annus unus ? Sic etiam hic acclamante prophetica voce : « A sæculo et usque in sæculum

[1] Genes. I, 1. — [2] Prov. VIII, 1, 22. — [3] Joan. I, 1.

» tu es : quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies » hesterna quæ præteriit : et custodia in nocte [1] : » Nam cum mille anni in diem unum concludantur in oculis Dei, a mundi ortu ad usque requiem, sunt dies sex, atque ab illa ad nos iterum sex præterierunt dies, ut optimi calculatores affirmant. Annum ergo sexies millesimum, ab Adamo ad nos usque aiunt extendi : Nam die septima, septimo inquam mundi millenario, judicium futurum dicunt. Ergo a nobis usque ad principium, in quo Deus creavit cœlum et terram, dies omnes tredecim numerantur : ante quos, cum Deus nihil omnino operatus sit et creaverit, Patris nomine, et universalis conservatoris ac Domini, caruit. Enimvero, si tredecim dies sunt in oculis Domini a mundo condito, quomodo Sapientia in Jesu Sirach dicit : « Arenam maris, et » pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumerabit [2] ? » Hæc Origenes serio disputans, vide, rogo, quam nugetur.

[1] Psalm. LXXXIX, 2. — [2] Eccl. I, 2.

SANCTI METHODII

LIBER

DE LIBERO ARBITRIO [1].

(INTERPRETE EODEM COMBEFISIO.)

Senex quidem Ithacensis, cum, ut Græci fabulantur, audiendi illecebras incontinens Sirenum cantu mulceri vellet, ipse in Siciliam vinctus navigavit, sociorumque obstruxit aures [2]; non quasi vel illis invideret, ne et ipsi audirent, aut seipse libens vinculis insereret; sed quod sic cantillantibus aures commodantibus, mors tandem immineret. Tales quippe Græcis sunt Sirenum voluptates. Enimvero, haudquaquam ego talis cantionis auditor fio; nec Sirenas, funebre carmen hominum concinentes; quarum silentium, plus voce hominibus conducat audire desidero : cupio autem divina quadam voce frui; cujus sæpius repetita auditio, desiderium accumulat. Non quasi impudicæ vocis lenocinio impar, sed velut quia divina addiscam mysteria et ad extremum non mortem expectem, sed salutem æternam. Concinunt namque ac melos pulsant non Græcorum mortiferæ Sirenes, sed divinus augustissimusque Prophetarum chorus; in quibus nihil necesse sociorum obturare aures velut quis auditionis veritus pœnam in vincula se ipse conjiciat. Illic quidem auditor, mox ut audivit, vivere desinit :

[1] Ex eod. Max. Bibl. Patr. tom. III, pag. 714 et seq.

[2] Odyss. XII.

hic autem, qui multum audierit, divino Spiritu duce, vitæ melioris felicitatem acquiret. Omnes ergo simul accedant, audiantque, nihil veriti, cantionem divinam. Absunt a nobis Sirenes Siculæ, Ulyssisque vincula, ac cera humanis auribus liquata. Potius vero omnimoda vinculorum remissio, suusque liber cuique auditus, est. Plane enim meretur auditum ejusmodi cantio, votisque expetendi mihi videntur musici tales. Quod si quis etiam Apostolorum chorum velit audire, eamdem cantionis consonantiam offendet. Nam illi quidem divinam dispensationem occulte præcinuere : hi autem, occulte ab illis annunciata, cantico explicant. O consonam divini Spiritus compositione harmoniam ! O decorem canentium Dei sacramenta ! Desiderat animus una concinere. Canamus ergo et ipsi eamdem cantionem, hymnumque offeramus Patri sancto; Jesum, « qui in ejus sinu est [1], » Spiritu glorificantes. Ne, homo, canticum spiritale fugeris; neve auditionem fueris aversatus. Mortem non habet : Salutis narratio nostra cantio est. Sane quidem mihi ipse jam videor melioribus frui, qui de talibus disseram : idque in primis, cum tale, talibusque floridum pratum ob oculos habeam : Dico autem vestrum cœtum ac concionem, quos et auditores et concentores sacramentorum cœlestium habeam. Propterea etiam audeo dicere, quod omni mundis levore auribus auscultetis, nec Caininam æmulationem imitemini [2]; aut sicut Esau fratrem persequamini [3]; vel fratres Joseph probetis, fratrem odio prosequentes propter ipsius sermones [4]; sed ab his omnibus longe remoti sitis, existimantibus singulis dicere, quod proximus dicit. Quare etiam a vobis exulat mala æmulatio, qui fratris defectus adimplendos susceperitis. O pulchram concionem honestumque convivium et spirituales epulas. VAL. Cum, amice, heri sero, ad maris littus ambularem, atque in ipsum aciem

[1] Joan. I, 18. — [2] Genes. IV, 5. — [3] Id. XXVII, 41. — [4] Id. XXXVII, 4.

oculorum intenderem, statim se, virtutis divinæ præstantia, sapientissimæque scientiæ ars, oculis objecit : siquidem res ejusmodi ars vocanda sit. Ut enim habet versus ille Homericus :

« Sicut autem venti dum pontum commovent piscosum
» Boreas et Zephyrus, qui e Thracia spirant
» Ruentes repente : simul autem et unda nigra
» Attollitur : multam autem extra mare algam fundunt[1] : »

ita et fieri, mihi videbatur. Videbam enim fluctus montanis superciliis proximos; atque ut rem dicam, ad ipsum pertingentes cœlum : nec mihi inde aliud expectandum occurrebat, quam ut universam terram submergerent : veniebat in mentem fugæ locus; et arcam Noë animo effingebam. Cæterum secus erat ac opinabar. Mox quippe mare, ut intumuerat, in seipsum resolvebatur, non transgrediens locum suum; reveritum (ut verbo dicam) divinum mandatum. Ac quemadmodum haud raro servus aliquis indicta heri jussu invito quidpiam agendi necessitate, mandato quidem timore obsequitur, nec tamen proferri audet, quod animi reluctantia sentit ac experitur : sed plenus ira, secum immurmurat : sic certe et mihi videbar videre, velut iratum mare, secumque ipsam claudens iram, ac se continens, timens hero prodere irarum motum. Hæc nimirum in eum se modum habentia, intentis oculis tacitus aspicere cœperam; volebamque cœlum animo metiri, et orbem ejus : quærebam ergo unde inciperet, quove desineret : quali item cieretur motu : num transeundi; hoc est, qui est ab uno in alium locum; vel in orbem ferretur : sed et quomodo firma basi consisteret. Atqui etiam de sole quærendum videbatur, quisnam modus ejus in cœlo situs, quis vero terminus sit cursus illius : quo item brevi esset concessu-

[1] Iliad. IX, initio.

rus; ac neque ipse transgrediatur cursum proprium : quin ipse quoque (quod ita liceat loqui) Dei præceptum aliquod numinisque custodiat; tuncque nobis appareat, cum ei per facultatem licet; rursum vero, tanquam qui vocetur, abcedat. Interim ergo dum hæc exquiro, videbam solis jubar occidere, dieique lumen deficere; ac statim adesse tenebras, lunamque soli succedere : ac primum quidem minutam oriri; postquam vero, cursu promoventem, majori specie apparere. Ac neque de illa quærere cessabam, ac cur minuatur et augmentum faciat, causam scrutabar; quodque ipsa nihilominus circulum dierum teneat : indeque mihi quandam divinam providentiam deprehendere videbar, ac vim meliorum omnia continentem (quam et Deum jure dicamus). Cæterum vero cœpi laudare opificem, qui terram fixam, animaliumque differentias ac varios plantarum flores aspicerem. Haud vero in his solisque mihi animus constitit; sed de cætero quærere cœpi unde hæc constituta essent : num ex aliquo quod semper coexistat Deo; vel ex ipso soloque Deo, cum nulla res ei coexistat, consisterent? Nihil enim ex nihilo fecisse haud improbabili omnino ratione mihi considerandum ducebam. Nam quæ fiunt, ut ex entibus fiant atque consistant, comparatum habent. Similiter etiam vere dicendum videbatur, nihil aliud Deo præter ipsum coexistere; sed quæ essent, ab ipso ortum habuisse. Nimirum ut ita sentirem suadebat compositus elementorum ordo, ac quæ in eis spectatur, naturæ concinnitas. Sic autem bene statuisse ratus, domum redibam. In crastinum vero, hodie scilicet, cum venissem, duos quosdam, eadem prosapia lætos (homines inquam) altercantes, seque mutuo convitiis proscindentes, videbam. Alterum item qui proximum spoliare vellet, sed et jam aliqui gravius etiam temerario ausu præsumebant. Nam hic quidem mortuum deprædatus est, jamque humo conditum corpus,

soli rursus exponebat, atque ita cadavere canibus laniando atque vorando relicto, cognatam imaginem contumeliose habebat, ille vero, nudato strictoque gladio, in sui generis hominem irruebat : atque hic quidem fuga salutem expedire satagebat : verum persequens, nihil desistebat, aut ut iram moderaretur in animum inducebat. At quid plura attinet dicere? irruens alter confestim gladio cædebat; alter viro supplex erat ac manus protendebat, ac vestem quidem offerebat, et ut solum vivere sineretur rogabat. At ille perstabat infracto animo, nec quidquam congeneris miserebatur, aut ut se ipse in illo imaginis ratione cerneret, animum inclinabat; sed ut fera bestia gladio laniare occœptabat. Quin jam etiam os, sui simili corpori admovebat. Tanto nimirum furore exarserat, ac videre erat, alterum quidem injuria oppressum, alterum vero jam spoliantem, nec humo corpus tegentem, quod vestem nudaverat. Præterea erat alius, qui furatus alienas nuptias, uxori proximi illuderet, atque maritum legitimum prolis patrem ascriberet. Hinc et tragœdiis fidem habere cœpi, ac revera Thyesteam cœnam extitisse putavi : sceleratæ quoque OEnomæi cupiditati animum accommodavi, fratrumque per ferrum rixæ fidem non subtraxi. Tantarum ergo taliumque rerum spectaculo motus, causam unde hæc originem haberent exquirere cœpi : quodnam vero etiam horum motus principium, ac quis tanta molitus esset adversus humanum genus; unde etiam illorum inventio, ac quis doctor fuisset atque inceptor. Ac quidem ut Deum talium auctorem dicamus, fieri non potest; at neque ut ab eo habere quod sint atque consistant. Quomodo enim hæc de Deo cogitare licet, qui et bonus sit, et ea præstet quæ sunt virtutis, ac cui nihil vitiorum inest? sed neque ut talibus delectetur illi comparatum est : quinimo vetat fieri; ac quidem eos, qui his delectentur, abdicat; qui vero fugiant, recipit. Quomodo

autem non absurdum, ut eorum Deus auctor audiat, quæ ipse aversatur et repudiat? Neque enim hæc nollet esse, si primus ipse illorum causa extitisset. Vult siquidem, ut qui ad ipsum accedunt, ejus imitatores fiant. Quare alienum a ratione duxi, hæc Deo affingere; aut tanquam ab eo ortum habuerint (quanquam maxime concedendum videtur posse aliquid ex non entibus fieri), malorum ipsum auctorem ascribere.

Nam qui ex nihilo, ut essent produxisset; haud ea ex eo quod sunt, in nihilum redigeret. Ac rursus necessario dicendum fuisse aliquando tempus cum Deus malis delectaretur, sed nunc non esse. Quamobrem non arbitror posse hoc dici de Deo. Alienum quippe est ab ejus natura, ut hoc illi conveniat. Existimavi ergo esse aliquid quod ei coexistat (sic dictum *Materia*), ex qua sapienti arte secernendo ac pulchre exornando, res condiderit, ex qua etiam mala esse videntur. Cum enim illa, et qualitatis expers et informis esset, ad hæc vero etiam inordinate ferretur, Deique arte indigeret, non invidit ipse, neque ita semper permisit ferri, sed elaborare cœpit, optimaque ab ejus pessimis secernere voluit; atque ita, quæcumque Deum ex illa procreare decebat, procreavit; quæcumque vero, ut verbo dicam, habuit fæculenta, ceu inepta opificia, qualia erant, nihil ipsi utilia, dereliquit : ex quibus modo apud homines mala extare existimo. Sic bene visum est sentire : tu vero, amice, si quid minus recte dictum videatur, profecto alloquere; plane enim ea audire desidero. Orthod. Equidem acceptam habeo, amice, alacritatem tuam; studiumque tuum doctrinæ adeundæ laudo. Quod porro ita de rebus existimasti, quasi eas Deus ex præjacenti aliqua substantia creaverit, non prorsus reprehendo. Revera enim malorum ortus in eam sententiam plures impellit. Etenim utroque nostrum priores viri non pauci satisque eruditi, ea de re maximam

quæstionem moverunt. Atque alii quidem idem tecum senserunt, alii vero Deum horum auctorem asseruerunt; nempe veriti coævam illi substantiam assignare : cum reliqui, eo quod Deum malorum auctorem dicere vererentur, materiam illi coævam haud inficiendum putaverint. Contigit autem ut bene dicerent neutri, Deum timentes non secundum veri scientiam. Sunt denique, qui et a principio, ejus quæstionis scopulum, velut non habentis finem, vitandum putaverint. Haud enimvero communis amicitiæ jura hanc a me amoliri sinunt, ubi præsertim quid tibi sit animi tu ipse enuntias : haud nimirum occupata ulla opinione teneri (quanquam maxime ex iis quæ considerasti sic prope videbatur), sed veræ tibi scientiæ desiderium inesse affirmas. Quare etiam ego propensa animi alacritate ad quæstionem accedam. Placet autem ut et hic amicus ac sodalis susceptæ nobis disputationis sermonumque auditor existat. Nam et ille in eadem tecum fere de his sententia versari videtur. Quare communi cum utroque sermone conferre gestio. Quæ enim tibi sic affecto dixerim, eadem et illi similiter dixero. Si quid igitur vere de Deo proba mente dicere videbas, ad singula quæ sciscitabor responde. Hinc enim fiet, ut et tu quod sit verum intelligas, nec ego ad te frustra sermones effundam.

Val. Paratus sum, ut ea quæ dixisti faciam. Quare omni animi alacritate sciscitare, unde me Dei scientiam capessere posse existimas. Non enim hoc mihi constitutum, ut male victor exeam, sed ut veritatem addiscam. Jam itaque insta doctrinæ.

Orthod. Sane, nullo modo fieri posse ut sint duo simul ingenita, ne te quidem non nescire existimo, tametsi id maxime sermone jam habito videaris statuisse. Plane enim duorum alterum necesse fuerit dicere, vel quod Deus sejunctus a materia sit, aut rursus quod ab ea indivisus sit.

Ac siquidem unita quis velit, unum ingenitum dicet. Erit siquidem horum quodlibet ejus pars, quod proximum est. Cumque sint mutuo partes, non erunt duo ingenita, sed unum ex diversis consistens atque conflatum. Nam neque hominem, qui diversa membra habeat, in multa genita partimur. Siquidem igitur, uti poscit ratio, unum quid genitum multarum partium hominem dicimus a Deo fuisse procreatum; sic necesse (siquidem Deus a materia sejunctus non est) unum nos ingenitum dicere. Sin autem disjuncta quis dicat, necesse est medium quidpiam intercedere, quo et sejuncta hæc internoscantur. Non enim fieri potest ut unum quis ab alio distare intelligatur, nisi aliud intercedat, ratione cujus distantia fiat. Neque id in hoc ac solo sistit, sed et ad alia, quanta dixeris, extenditur. Quam enim in duobus ingenitis rationem diximus, simili ratione procedere necesse est, si hæc tria esse dederimus. Nam et de illis quæsierim, num ab invicem sejuncta sint : vel rursus singula proximo unita. Ac siquidem aliquis unita dicere velit, eamdem ac prius rationem audiet : sin vero dixerit separata, non effugiet, quin necessario quod distantiam faciat separando, admittendum sit.

Quod si quis etiam tertium, quod ingenitis congruat, amplecti malit; id est, ut neque Deus a materia sejunctus sit, neque rursus partium in morem uniantur : sed Deus in materia sit, ut in loco, ac materia in Deo continentis rationem habeat; noverit ille, fore, ut si materiam Dei locum dixerimus, necessario etiam dicendum sit esse Deum comprehensibilem, et qui a materia circumscribatur. Quin simili quoque ac materia ratione incomposite circumferatur. Nec vero quiescere, aut penes seipsum manere necesse est, cum id in quo est alias alio temere circumferatur. Præterea necessario fatendum est, versatum Deum in iis quæ vitio hærent ac deteriora sunt. Siquidem enim materia quando-

que ornatu caruit : ac Deus volens ad meliorem statum educere ornatum contulit, erat aliquando cum Deus esset in iis, quæ inornata ac indistincta sunt.

Sed et illud jure quæsierim : Totamne Deus materiam impleret, an in parte quadam materiæ ejusdem existeret. Ac quidem, si quis Deum in parte tantum materiæ affirmare velit, ipsum longe materia angustiorem ac minorem dicit : quandoquidem ejus particula, totum Deum comprehendit. Sin autem in tota dixerit, et per omnem pervasisse materiam, quonam modo eam elaboravit ? Necesse est enim ut dicamus quamdam Dei contractionem, per quam eam partem fabricaretur ac componeret, a qua se subduxisset : vel ipsum una cum materia fabricasse, cum non esset sese subducendi locus. Sin autem quis asserat materiam in Deo extitisse, simili ratione expendendum est : Utrum scilicet velut illa a seipso divisa, ac sicut in aere existunt genera ac species, ipso diviso dissectoque, ad ea suscipienda, quæ in illo procreantur : Vel sicut in loco; hoc est eo modo quo aqua in terra est. Siquidem enim eo modo dixerimus, quo res sunt in aere, necesse est ut Deum divisibilem dicamus. Sin autem eo modo quo aqua est in terra, cum materia indigesta esset et incomposita, ac præterea mala contineret, necessario conficitur, ut Deum eorum dicamus locum, quæ incomposita et inornata atque mala sunt. Quod minus Deo consentaneum videtur; sed magis periculi plenum atque lubricum. Ea enim ratio est ut materiam ponas, ne scilicet Deum malorum auctorem dicere tenearis : idque dum cavere vis, ipsum malorum conceptaculum dicis. Quod si materiam ex genitis ortuque procreatur quæ vere existunt considerans, ingenitam ipsam diceres, longam de illa tecum disputationem haberem, ut probarem non posse fieri ut ingenita sit. Quia vero malorum ortum, causam dicis ejuscemodi opinionis, idcirco ad eam rem examinandam mihi pro-

cedendum esse existimo. Manifesta enim ratione, ac exposito, quanam ratione mala fiant, nec fieri posse ut Deum malorum auctorem ascribamus, idcirco quod materia illi subjiciatur, sublatum iri eam opinionem existimo. Nam si Deus qualitates, cum non essent, condidit, simili quoque ratione substantias. Ais itaque, materiam, quæ sit expers qualitatum atque informis, Deo coævam esse? VAL. Ita sane videtur. ORTHOD. Igitur si materia informis et expers qualitatum erat : mundus vero a Deo conditus est, et sunt in mundo qualitates, Deus qualitatum conditor effectus est? VAL. Ita est. ORTHOD. Quandoquidem vero te quoque prius dicentem audiebam, non posse aliquid ex non entibus fieri, ad meam quæstionem responde. Num existimas mundi qualitates, ex non subjectis qualitatibus productas esse? VAL. Existimo. ORTHOD. Censesne vero qualitates aliud quidpiam esse præter substantias? VAL. Ita plane. ORTHOD. Igitur si neque ex subjectis qualitatibus qualitates condidit Deus, neque ex substantiis existunt, quod neque substantia sint, necesse est ut ex non entibus a Deo creatas eas dicamus. Quapropter superflue dicere mihi videbaris, non posse intelligi ac existimari, quod Deus ex non entibus aliquid creaverit. Verum enimvero ea sit rei hujus decisio. Nam et apud nos, videmus homines quædam ex non entibus facere ac fabricari, quanquam maxime videntur fabricari in aliquo. Puta, exemplum sumamus ab architectis. Etenim fabricantur illi urbes ex non urbibus, templaque similiter ex non templis....

Desunt reliqua.

(*EX PHOTIO.*)

Sin autem ideo, quia substantiæ his subjectæ sunt, exis-

timas ex entibus hæc eos fabricari, verbo falleris. Neque enim substantia est quæ condit civitatem, aut templa fabricatur; sed ars, quæ circa substantiam versatur : quæ videlicet ex non subjecta aliqua arte in substantiis oritur. Videris autem in eum modum rationi occurrere, quod nimirum artifex, arte, quæ in substantia est, operetur. Cui respondeo, Ne in homine quidem ex subjecta aliqua arte advenire. Nam neque concedi potest, ipsam in se substantiam artem esse. Ars enim inter accidentia censetur, ea quæ tunc esse nanciscuntur, cum in substantia aliqua fuerint. Nam homo etiam sine tectonica existit : illa vero nisi prius homo fuerit, nusquam erit. Quapropter necesse est, ut artes, ex non entibus in hominibus pronasci dicamus. Quod si ita rem se in hominibus habere ostendimus, quomodo non decebat, ut Deum diceremus, posse non solum qualitates, sed et substantias ex nihilo condere? Quod enim possibile videatur fieri aliquid ex non entibus, argumento est etiam substantias se eo modo habere.

Iterum vero instituta de malis disputatio resumatur. Mala, utrum substantiæ videntur, an substantiarum qualitates? VAL. Qualitates. ORTHOD. Materia vero expersne qualitatum ac informis erat? VAL. Maxime. ORTHOD. Implexa ergo substantiæ hæc nomine sunt, ex iis, quæ illi accidunt. Neque enim homicidium substantia est, neque aliquid aliorum malorum; sed ab actibus seu operationibus ita nuncupantur. Neque enim homo, homicidium est; sed illo perpetrato, hinc deflexo nomine homicida cognominatur, cum ipse haudquaquam homicidium sit. Atque ut uno verbo dicamus nihil quidquam aliorum malorum est substantia : sed ea, quod malorum aliquid egerit, mala dici possit. Simili modo ratiocinare, si quam aliam malorum causam hominibus comminisceris. Hanc quoque ea ratione malum esse quod afflatu suo ac suggestione, mala perpetrandi illis

auctor sit. Nam et ipse malus est, ex iis quæ facit. Idcirco enim malus est, quod malorum factor est. Quæ autem quis facit, non ipse est, sed sua actio, unde nuncupationem trahit ut malus dicatur. Nam si ipsum dixerimus, esse ea quæ facit, cum faciat cædes et adulteria, et quæcumque ejus generis sunt ipse illa erit. Quod si ipse illa est, tunc cum fiunt, habent esse : cum vero non fiunt, cessant esse. Fiunt autem hæc ab hominibus. Erunt igitur homines horum auctores, et causæ ut sint, vel non sint. Atqui, si quisque malus est ex his quæ operatur : quæ autem operatur, principium habent ut sint; cœpit et ille esse malus : cœperunt vero et hæc mala. Quod si res se ita habet, nemo igitur sine principio malus est, nec mala ingenita sunt. Val. Enimvero satis quidem, amice, adversus alterum videris disputationem traxisse. Unde enim ille prius visus est orationi concedere, inde tu visus es rite concludere. Verum namque est, admisso semel esse materiam qualitatis expertem atque informem, esseque Deum qualitatum auctorem, ac qualitates esse mala, fore esse Deum malorum auctorem. Mihi vero falsum videtur esse. Materiam qualitatum expertem ac informem. De nulla enim substantia affirmare possis, esse eam qualitatum expertem. Quin hoc ipso quod expertem qualitatum dicis, ejus qualitatem declaras, describens qualis sit materia, quod est quædam species qualitatis. Quare, si lubet altius ordire disputationem. Mihi enim materia qualitates ab æterno habere videtur. Sic namque etiam mala ab ejus esse defluxu, amice, pronuntio. Orthod. Si materia ab æterno suis affecta qualitatibus est, quorumnam auctor ac conditor erit Deus. Sive enim substantias dixerimus, præexistere illas affirmamus : sive rursus qualitates, has quoque existere dicimus. Igitur cum et substantia sit et qualitates, superfluum mihi videtur Deum opificem vocare. Cæterum percontanti responde. Qua ratione

dicis Deum esse opificem. An quod substantias, quæ erant aliquando, in nihilum verterit; vel quod servarit quidem substantias, harum vero qualitates mutaverit? VAL. Nulla mihi videtur substantiarum facta mutatio, sed solum qualitatum ratione quarum Deum creatorem esse ac opificem dicimus. Et quemadmodum si quis dicat, factam ex lapidibus domum, ubi haud inficiandum manere adhuc lapides in substantia, qui domus appellantur. Domum enim compositionis qualitate factam dico. Ad eum modum, Deum existimo, mutationem quandam qualitatum fecisse manente substantia, ratione cujus mundi fabricam a Deo esse affirmo. ORTHOD. Num et mala substantiarum qualitates esse videntur? VAL. Videntur. ORTHOD. Fuerunt hæ qualitates ab æterno in materia, an ut essent principium habuerunt? VAL. Una cum materia ab æterno fuisse pronuntio. ORTHOD. Nullamne qualitatum mutationem a Deo factam arbitraris? VAL. Arbitror factam. ORTHOD. In melius? VAL. Mihi videtur. ORTHOD. Si igitur materiæ qualitates mala sunt, Deus autem eas in melius convertit, necessario quærendum undenam mala sint. Aut enim omnes, cum essent malæ, in melius mutatæ sunt: aut cum aliæ quidem bonæ essent, aliæ malæ; malæ quidem non sunt mutatæ in melius, reliquæ vero, quæcumque diversæ erant, ornatus causa ac distinctionis a Deo sunt mutatæ. VAL. Sic ego jam initio sentiebam. ORTHOD. Quomodo igitur malas qualitates, eo modo quo se habebant, relictas fuisse dicis? Num ita ut eas Deus posset tollere; aut ut voluerit quidem, sed non potuerit? Si potuisse ais, et noluisse necesse est ut horum auctor dicatur; quod potuerit facere ut non essent mala, ac illa tamen ita ut erant manere permiserit: ac tum maxime, cum Materiam condere cœpisset atque formare. Siquidem enim nullam ejus prorsus rationem haberet, haud auctor esset eorum, quæ manere permisisset. Postquam

autem ejus quidem partem format ac efficit, partem vero sinit ac negligit, cum et illam in melius mutare posset, videtur mihi malorum causa, quod partem materiæ malam reliquit : ad partis certe exitium fabricam iniit. Quin ipsam quoque partem, quam condidit atque formavit quam maxime damno videtur affecisse, quæ in malorum sensum adducta sit. Antequam enim ornatum reciperet, sic erat comparata, ut nec mala sentiret : nunc vero ejus ambæ partes malum sentiunt. Ac quæso sit tibi in homine exemplum. Priusquam enim fieret animal, nullo malorum sensu tangebatur. Ex quo autem effecto simulacro, a Deo conditus homo, tunc quoque accedentis mali sensum assumit. Idque adeo quod materiæ in beneficii partem a Deo collatum dicis, in deterius potius illi commeasse deprehenditur. Si autem dicas, Non potuisse mala a Deo aboleri ; cum non posse, quod dicitur, aut imbecillis naturæ sit, aut ejus qui potentiori cuipiam mancipatus, timore vincatur, vide utrum horum omnipotenti ac bono Deo ascribere velis. Verum rursus, ad Materiam quod attinet, responde. Simplexve materia, an composita est? Nam si materia simplex et uniformis erat, mundus autem compositus et ex diversis substantiis conflatus est, non potest dici factus esse ex Materia, quod ea quæ sunt composita ex uno aliquo qualitatum experte constitui non possint. Nam quod compositum est, plura quædam simplicia mixta denotat. Quod si iterum materiam compositam dicas, erantque aliquando per se simplicia, quorum compositione extitit materia : composita vero, ex simplicibus habent quod constituuntur : erat aliquando tempus, cum materia non erat : prius scilicet quam simplicia coïrent : non vere erat aliquando tempus, cum ingenitum non erat : non ergo materia erit ingenita. Quod vero inde conficitur, id est, fore plura ingenita. Nam si Deus ingenitus erat; erantque ingenita etiam simplicia,

ex quibus materia composita est, non ergo duo ac sola erunt ingenita : ut interim illam quæstionem missam faciam, quid sint simplicia; materiane an forma? Nam sic quoque multa absurda sequantur. Porro num videtur, nullam rerum ipsam sibi contrariam esse? VAL. Videtur. ORTHOD. Atqui igni contraria est aqua, et luci tenebræ, frigidoque calidum, et humidum sicco. VAL. Mihi ita videtur. ORTHOD. Igitur si nulla rerum sibi ipsa contraria est; hæc autem inter se pugnant, non erunt una materia, at neque ex una materia. Rursum vero, ex te audire volo; Num putas partes se mutuo non interimere? VAL. Puto. ORTHOD. Num vero existimas, ignem et aquam, ac similiter reliqua, esse partes materiæ? VAL. Ita existimo. ORTHOD. Quid vero? Non videtur tibi aqua lethalis igni; luxque tenebris, et alia, si qua his similia sunt? VAL. Videtur. ORTHOD. Si ergo partes minime sibi invicem exitio sunt, hæc autem se mutuo perimunt; sequitur, haud esse inter se partes. Si autem non sunt inter se partes, neque unius Materiæ partes fuerint. Imo neque erunt materia quod nihil sibi ipsi exitio sit. Cum ergo ita se habeant opposita, paret inde materiam non esse. Atque de materia satis dictum sit. Veniendum autem est ad malorum disquisitionem, necessarioque excutienda sunt mala hominum. Quæro igitur, mala hominum, suntne species mali, an partes? Si species; non erit ergo aliud præter hæc subsistens malum : eo quod genera in speciebus inveniantur, atque subsistant. Quod si res ita se habet, erit sane malum genitum : sic enim species, quæ genita sint, ostendunt : puta, homicidium, adulterium, et his similia. Sin autem malueris esse partes, alicujus mali : cum illæ genita sint, plane necesse fit, ut et illud sit genitum. Quorum enim partes genita sunt, etiam ipsa similiter necessario ejusmodi sunt : nam totum constat ex partibus. Ac totum quidem non erit nisi partes existant. Par-

tium vero quædam erunt, quamquam totum desideretur. Nullius autem rei pars alia genita est, alia ingenita. Sin vero hoc etiam orationi dedero : haud tamen negari potest, fuisse quando malum integrum non esset : hoc est, antequam Deus materiam formaret. Postquam autem Deus hominem creavit, jam integritatem recipit. Nam homo mali partium auctor est : quamobrem etiam Deus qui condidit, integritatis mali auctor fuerit : quod impium dictu sit. Si vero neutrum horum malum dixeris esse, sed alicujus malam actionem : tum genitum ipsum esse ostendis. Quod enim alicujus actio est ut sit initium sumat. Ad hæc, aliud præterea nihil malum assignare potes. Quam enim aliam actionem, præter id quod in hominibus est, assignare habueris? Nam quod is qui agit et operatur, haud ipse substantiæ ratione malitia sit, sed hoc ipso quod malum agit et operatur, jam ostensum est. Etenim natura nihil malum est, sed quæ mala sunt, usu mala fiunt.

Liberi arbitrii dico hominem fuisse creatum, non quasi malo aliquo jam præjacente, cujus facultatem ac arbitrium eligendi, si vellet, homo acciperet, sed ut Deo obsequeretur, aut non obsequeretur. Hoc enim sibi tunc volebat liberi facultas arbitrii. Creatus autem homo, præceptum a Deo accepit : hincque adeo jam malum originem ducit, quippe cum non obsequatur divino mandato. Atque id unumque malum erat inobedientia, cujus initium fuit. Nec enim ullus est qui eam ingenitam dicat, genito ipso qui fecit.

Homo enim potestatem acceperat, ut se ipse servitio subjiceret, non quem naturæ necessitas teneret, ac cui facultas adempta esset, quod illi præstabat : cujus, inquam, gratia concessum esset, ut majora quam haberet nanciscereturr, quod divino munere ex obedientia illi provenit, et ut

debitum ab illo exigitur, quo auctore conditus est. Non enim ut hominibus damno cederet fuisse creatum dico, sed ad præstandas virtutes. Si enim esset homo conditus ut unum aliquod elementorum, aut eorum quæ simili ratione, Deo serviunt, non jam ex propositi ratione condignam mercedem reciperet : sed esset velut opificis organum, nulla certe ratione, in quibus non bene egerit, justæ reprehensioni obnoxium. Nam horum auctor esset qui utatur. At neque quod præstantius est, homo cognosceret qui auctorem nesciret : sed illud duntaxat, quod illi comparatum est. Quare dico, cum Deus hominem honorare, et scire cum meliora vellet, dedit ei potestatem, qua posset facere quæ vellet; ejusque potestatem ad meliora hortatur : non quod rursus liberam aufert potestatem, quam dedit; sed tanquam qui id quod melius est atque virtutis indicare velit. Habet siquidem potestatem, et mandatum accipit : Deus autem admonet, ut liberæ voluntatis vim, qua pollet, in id inflectat, quod virtutis existit. Quemadmodum enim, cum pater, filium facultatem habentem ut disciplinas addiscat, hortatur, ut majori diligentia capessat, id honestum esse atque virtutis significans, non facultatem qua possit filio adimit, quamquam his nolit libens discere : sic et Deum, cum hominem hortatur ut mandatis obtemperet, haud ei liberæ voluntatis facultatem auferre existima, et ut non obediat mandatis. Nam et quod admoneat atque hortetur hoc significat quod facultas minime ablata sit. Præcipit autem, ut homo beatitatem adipisci possit. Id enim comes est ei, qui divino præcepto obtemperaverit. Quamobrem, non ut quam dedit, facultatem auferat; præcipere in animum inducit; sed uti donet quod præstantius est, velut ei, qui obsequendo Deo, majora adipisci dignus scit; cum alioqui non deesset facultas non obsequendi.

Prorsus vero quæres, undenam sit quod inobediens fuerit? Verum id perspicue in divina Scriptura positum est. Unde ne talem hominem a Deo fuisse conditum affirmo : atque id illi doctrina quadam accidisse assero. Non enim talem homo naturam nactus erat. Nam si sic natura comparatus esset, non id illi ex doctrina accederet. Id vero, est quod divino quis oraculo ac sententia dicat, « Hominem » mala didicisse [1] : » Didicisset igitur dico non obedire Deo. Hoc enim et solum malum est, quod sit contra divinam voluntatem. Non enim homo a se ipso malum discit : qui igitur malum docet, draco est....

Desunt reliqua.

[1] Jerem. XIII, 23.

LUC. CÆCIL. FIRMIANUS

LACTANTIUS.

LIBRI

DE OPIFICIO DEI,

VEL FORMATIONE HOMINIS;

DE IRA DEI;

DE MORTIBUS PERSECUTORUM;

ET C.

LUC. CÆCIL. FIRMIANUS LACTANTIUS.

LATINUS. (An. 325.)

Lucius Cæcilius Firmianus, cognomine Lactantius, forte propter eloquii lacteam dulcedinem, ad religionem Christianam a juventute conversus, rhetoricen in Africana Arnobii schola didicit; quem brevi ita eloquentiæ laude superavit, ut Nicomediam rhetorices docendæ causa vocaretur. Cum vero pauci adessent auditores, quia Nicomedienses, utpotè Græci, de Latina parum rhetorica curabant, conscribendis libris operam dedit. A Constantino Magno in aulam regiam vocatus, ut Crispum filium liberalibus disciplinis informaret, ita medios inter honores paupertatem coluit, ut, Eusebio teste (Chronic. ad an. 318), non modo non sæcularibus indulgeret voluptatibus, sed rebus etiam ad victum necessariis aliquandò indigeret.

Nihil ultra de Lactantio apud historiam narratum reperimus; exquisita autem supersunt, quæ illum quasi prædicent opera. Præter enim duos libros quorum unus *de Opificio Dei*, alter vero *de Ira Dei*, *docto pariter et eloquenti sermone pulcherrime conscriptus*

(Hieron., in cap. IV in Ep. ad Ephes., et de Script. Eccles. cap. LXXX) sermonem habet, *Institutiones divinas* confecit, quibus, dissipatis paganarum fictionum tenebris, verum religionis Christianæ lumen mundo ostendere nititur. Totum opus septem libris dividitur, quorum primus *de Falsa religione*, secundus *de Erroris origine*, tertius *de Falsa sapientia*, quartus *de Vera sapientia*, quintus *de Justitia*, sextus *de Vero cultu*, septimus denique *de Vita beata* disserit. Quæ quidem omnia *Epitome* etiam sive breviario coarctavit, quo eadem summatim veluti delibata legere datur. Breviarii dimidium, ipso Hieronymi tempore jam amissum, nunc desideratur. Scripsit etiam tractatum *de Morte persecutorum*, quo, variis ætatibus perlustratis, servorum Dei persecutores tristi morte peremptos semperet ubique demonstrat.

Nullum inter Latinos doctores Lactantio fœcundiorem extitisse nemo est sane qui ignoret. Ita maximum Romæ paganæ decus Tullium frequenter attenteque pervolverat, ita etiam in scribendo purus, elegans nitidusque effinxerat, ut *Ciceronem Christianum* ab antiquis vocari meruerit. « Lactantius, » inquit Picus Mirandulæ comes, « Ciceronis stylum effi- » giavit, vel, ut quibusdam placet, supergressus est; » mihi videtur rebus et sententiis crebrior, nec numeris » injucundior, nec sibi æquabilitate et candore poste- » rior. Has quippe virtutes maximis viribus et æmu- » latus et assecutus est; hunc nec æqualem posteri » momorderunt; nemo elumbem et fractum, Asianum » et redundantem nemo causatus est. » (L. III, Ep. X.) Hinc *clarissimum facundia Firmianum* Eucherius

(Ep. ad Valer. de contempt. mund.), hinc Hieronymus *virum suo tempore eruditissimum et eloquentiæ Tullianæ fluvium* (Epist. XLIX, ad Paulin.) prædicare non dubitaverunt. Quamvis autem hac cogitationum verborumque excellentia fidem simul disputando, et docendo virtutem persuaserit, fatendum est nihilominus illum philosophorum placitis theologiam nimium involvere. Unde Damasus Papa, ad Hieronymum scribens, se non libenter opera Lactantii pervolvere fatetur, quia plures occurrunt paginæ, quibus de rebus a religione prorsus alienis agitur. Gelasius autem Papa *opuscula Lactantii apocrypha* declarat (Gelas. in concil. Rom.), propter quosdam hinc et inde occurrentes errores. Illis tamen judiciis non ita severe erga Lactantium actum est, ut ejus lectio sit abjicienda : « Quis enim, » inquit Hieronymus, « mihi interdicere » potest, ne legam Institutionum ejus libros, quibus » contra Gentes scripsit fortissime? » (Epist. XLI, ad Pammach.) Quis e contra Christianæ eloquentiæ cupidus ab illo legendo poterit abstinere?

Vix unus aut alter est scriptor inter profanos, ne dicam ecclesiasticos, quem sæpius docti emendaverint, vel excuderint bibliopolæ. Centies integer prælo subjectus est, atque ab ipsis typographiæ incunabulis ante annum primum sæculi decimi sexti, decies septies in lucem prodiit : quod vix reperies in alio aliquo scriptore. Cum autem exemplaria, e quibus expressi fuerunt ejus libri, truncata sæpius fuerint et corrupta, procul dubio editum mancum esse debuit et imperfectum. Sic editio rarissima anni 1465 in multis deficit; et ita fere est de editis quæ vulgata sunt prioribus istis temporibus. Vix textus emendatus utcunque nobis suppetit ante Aldi et Manutii editiones, ope et cura tum Baptistæ Egnatii, tum

Honorati Fasitellii, annis 1515, 1535, 1538. Verum ab eo tempore ad annum 1544, quo prodiit emendatior editio Coloniensis, vix ulla est quæ lectori possit satisfacere. Ab hoc tempore sæpius iterum excusus est Lactantius; inter posteriores autem illas editiones eminere videntur, utpote pleniores simul et accuratiores, quæ tum Oxonii anno 1683, a Thoma Spark, tum anno 1685 Cambrigæ, tum anno 1715 Lipsiæ, tum curantibus DD. Lebrun et Langlet Dufresnoy Parisiis anno 1748 excusæ fuerunt.

Particulares quædam variorum Lactantii operum editiones non contemnendæ videntur, nempe 1° liber *de Opificio Dei* Geræ in Misnia anno 1714, in-8°; 2° liber *de Morte persecutorum*, anno 1610 Parisiis, cum notis D. Lenourry; 3° tandem *Epitome institutionum*, sive Parisiis cura Matthæi Psaff et ejusdem Lenourry, sive Cambrigæ cum notis Davisii, in-8°.

Quoad gallicas versiones: 1° Septem *Institutionum* libri a Renato Fumæo gallice interpretati excusi sunt, tum Parisiis anno 1546 in-8°, et 1581 in-12°; tum Lugduni, annis 1517 et 1563.

2° Primus earumdem liber versus a Drouet de Maupertuy prælo subjectus est Avenionis, anno 1710, in-12°.

3° Liber *de Morte persecutorum* a D. Maucroix gallicæ fidei redditus lucem vidit Parisiis anno 1680, et iterum ex interpretatione doctoris Burnet Ultrajecti 1687, in-12°.

4° Plurima gallice leguntur in Bibliotheca Gallica D. Guillon Parisiis 1824, tom. III, pag. 365 et seqq.

LUCII CÆCILII FIRMIANI
LACTANTII
DE
OPIFICIO DEI,
VEL FORMATIONE HOMINIS,
LIBER [1]
AD DEMETRIANUM AUDITOREM SUUM.

CAPUT PRIMUM.

Proœmium et adhortatio ad Demetrianum.

Quam minime sim quietus [1], et in summis necessitatibus, ex hoc libello poteris existimare: quem ad te rudibus pene verbis, prout ingenii mediocritas tulit, Demetriane, perscripsi, ut quotidianum studium meum et nosses, et non deessem tibi, præceptor etiam nunc, sed honestioris rei meliorisque doctrinæ. Nam si te in litteris, nihil aliud quam linguam instruentibus, auditorem satis strenuum præbuisti: quanto magis in his veris, et ad vitam pertinentibus, docilior esse debebis? Apud quem nunc profiteor, nulla me necessitate vel rei, vel temporis impediri, quominus aliquid excudam, quo philosophi nostræ sectæ,

[1] Ex edit. Paris. DD. Lebrun et Langlet Dufresnoy (an. 1748) tom. II, pag. 71 et seqq. — [2] Vide D. Guillon. tom. III, pag. 465 et seqq.

quam tuemur, instructiores doctioresque in posterum fiant; quamvis nunc male audiant, castigenturque vulgo, quod aliter quam sapientibus convenit vivant, et vitia sub obtentu nominis celent, quibus illos aut mederi oportuit, aut ea prorsus effugere, ut beatum atque incorruptum sapientiæ nomen vita ipsa cum præceptis congruente præstarent. Ego tamen, ut nos ipsos simul et cæteros instruam, nullum laborem recuso. Neque enim possum oblivisci mei, tum præsertim, quum maxime opus sit meminisse; sicut ne tu quidem tui, ut spero et opto. Nam licet te publicæ rei necessitas a veris et justis operibus avertat, tamen fieri non potest, quin subinde in cœlum aspiciat

. . . . . « Mens sibi conscia recti [1]. »

Ego quidem lætor omnia tibi, quæ pro bonis habentur, prospere fluere; sed ita, si nihil de statu mentis immutent. Vereor enim ne paulatim consuetudo, et jucunditas earum rerum (sicut fieri solet) in animum tuum repat. Ideoque te moneo,

. . . . « Et repetens iterumque monebo [2], »

ne oblectamenta ista terræ, pro magnis aut veris bonis habere te credas; quæ sunt non tantum fallacia, quia dubia, verum etiam insidiosa, quia dulcia. Nam ille colluctator et adversarius noster scis quam sit astutus, et idem ipse violentus, sicuti nunc videmus. Is hæc omnia, quæ illicere possunt, pro laqueis habet, et quidem tam subtilibus, ut oculos mentis effugiant, ne possint hominis provisione vitari. Summa ergo prudentia est, pedetentim procedere; quoniam utrobique saluti insidet, et offensacula pedibus latenter opponit. Itaque res tuas prosperas, in quibus nunc agis, suadeo ut pro tua virtute aut contemnas, si potes, aut non

[1] Virgil. Æneid. I, 608. — [2] Id. III, 436.

magnopere mireris. Memento et veri parentis tui, et in qua civitate nomen dederis, et cujus ordinis fueris. Intelligis profecto quid loquar. Nec enim te superbiæ arguo, cujus in te ne suspicio quidem ulla est : sed ea quæ dico, ad mentem referenda sunt, non ad corpus, cujus omnis ratio ideo comparata est, ut animo tanquam domino serviat, et regatur nutu ejus. Vas est quidem corpus quodammodo fictile, quo animus, id est homo ipse verus continetur, et quidem non a Prometheo fictum (ut poëtæ loquuntur), sed a summo illo rerum conditore atque artifice Deo, cujus divinam providentiam perfectissimamque virtutem, nec sensu comprehendere, nec verbo enarrare possibile est.

Tentabo tamen, quoniam corporis et animi facta mentio est, utriusque rationem, quantum pusillitas intelligentiæ meæ pervidet, explicare. Quod officium hac de causa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in quarto de Republica libro, cum id facere tentasset, nihil prorsus effecit; nam materiam late patentem angustis finibus terminavit, leviter summa quæque decerpens. Ac ne ulla esset excusatio, cur eum locum non fuerit executus, ipse testatus est, nec voluntatem sibi defuisse, nec curam. In libro enim de Legibus primo, cum hoc idem summatim stringeret, sic ait : « Hunc locum satis (ut mihi vi» detur) in iis libris, quos legistis, expressit Scipio[1]. » Postea tamen, in libro de Natura deorum secundo, hoc idem latius exequi conatus est. Sed quoniam ne ibi quidem satis expressit, aggrediar hoc munus, et sumam mihi audacter explicandum, quod homo disertissimus pene omisit intactum. Forsitan reprehendas, quod in rebus obscuris coner aliquid disputare; cum videas tanta temeritate homines extitisse, qui vulgo philosophi nominantur, ut ea, quæ abstrusa prorsus atque abdita Deus esse voluit, scruta-

[1] Leg. I, IX, 54.

rentur, ac naturam rerum cœlestium terrenarumque conquirerent, quæ a nobis longe remotæ, neque oculis contrectari, neque tangi manu, neque percipi sensibus possunt : et tamen de illarum omnium ratione sic disputant, ut ea, quæ asserunt, probata et cognita videri velint. Quid est tandem, cur nobis invidiosum quisquam putet, si rationem corporis nostri dispicere et contemplari velimus? Quæ plane obscura non est; quia ex ipsis membrorum officiis, et usibus partium singularum, quanta vi providentiæ quidque factum sit, intelligere nobis licet.

CAPUT SECUNDUM.

De generatione belluarum et hominis.

Dedit enim homini artifex ille noster ac parens Deus sensum atque rationem, ut ex eo appareret nos ab eo esse generatos, quia ipse intelligentia, ipse sensus ac ratio est. Cæteris animantibus quoniam rationalem istam vim non attribuit, quemadmodum tamen vita eorum tutior esset, ante providit. Omnes enim suis ex se pilis texit, quo facilius possent vim pruinarum ac frigorum sustinere. Singulis autem generibus, ad propulsandos impetus externos, sua propria munimenta constituit, ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ sunt imbecilliora, subtrahant se periculis pernicitate fugiendi, aut quæ simul, et viribus, et celeritate indigent, astu se protegant, aut latibulis sepiant. Itaque alia eorum, vel plumis levibus in sublime suspensa sunt, vel suffulta ungulis, vel instructa cornibus; quibus-

dam in ore arma sunt dentes, aut in pedibus adunci ungues: nullique munimentum ad tutelam sui deest[1].

Si qua vero in prædam majoribus cedunt, ne tamen stirps eorum funditus interiret, aut in ea sunt relegata regione, ubi majora esse non possunt; aut acceperunt uberem generandi fœcunditatem, ut et bestiis, quæ sanguine aluntur, victus suppeteret ex illis, et illatam tamen cladem, ad conservationem generis, multitudo ipsa superaret. Hominem autem, ratione concessa, et virtute sentiendi atque eloquendi data, eorum, quæ cæteris animantibus attributa sunt, fecit expertem, quia sapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegasset; statuit nudum et inermem, quia et ingenio poterat armari, et ratione vestiri. Ea vero ipsa, quæ mutis data, et homini denegata sunt, quam mirabiliter homini ad pulchritudinem faciant, exprimi non potest. Nam si in homine ferinos dentes, aut cornua, aut ungues, aut ungulas, aut caudam, aut varii coloris pilos addidisset, quis non sentiat quam turpe animal esset futurum, sicut muta, si nuda et inermia fingerentur? Quibus si detrahas, vel naturalem sui corporis vestem, vel ea quibus ex se armantur, nec speciosa poterunt esse, nec tuta; ut mirabiliter, si utilitatem cogites, instructa, si speciem, ornata videantur: adeo miro modo consentit utilitas cum decore.

Hominem vero, quem æternum animal atque immortale fingebat; non forinsecus, ut cætera, sed interius armavit; nec munimentum ejus in corpore, sed in animo posuit: quoniam supervacuum fuit, cum illi, quod erat maximum, tribuisset, corporalibus eum tegere munimentis; cum præsertim pulchritudinem humani corporis impedirent. Unde ego philosophorum, qui Epicurum sequuntur, amentiam soleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, ut osten-

[1] Anacreon. od. II.

dant, nulla providentia instructum esse ac regi mundum; sed originem rerum insecabilibus ac solidis corporibus assignant, quorum fortuitis concursionibus universa nascantur et nata sint. Prætereo quæ ad ipsum mundum pertinentia vitio dant, in quo ridicule insaniunt; id sumo, quod ad rem, de qua nunc agimus, pertinet.

CAPUT TERTIUM.

De conditione pecudum et hominis.

Queruntur hominem nimis imbecillum et fragilem nasci, quam cætera animalia nascuntur, quæ, ut sunt edita ex utero, protinus in pedes suos erigi, et gestire discursibus, statimque aëri tolerando idonea esse, quod in lucem naturalibus indumentis munita processerint : hominem contra, nudum et inermem, tanquam ex naufragio in hujus vitæ miserias projici et expelli, qui neque movere se loco, ubi effusus est, possit, nec alimentum lactis appetere, nec injuriam temporis ferre; itaque naturam, non matrem esse humani generis, sed novercam, quæ cum multis tam liberaliter se gesserit, hominem vero sic effuderit, ut inops, et infirmus, et omni auxilio indigens, nihil aliud possit, quam fragilitatis suæ conditionem ploratu ac fletibus suis ominari : scilicet,

« Cui tantum in vita restet transire malorum [1]. »

Quæ cum dicunt, vehementer sapere creduntur, propterea quod unusquisque inconsiderate suæ conditioni ingratus

[1] Lucret. de Nat. rer., l. v.

est : ego vero illos nunquam tam desipere contendo, quam cum hæc loquuntur. Considerans enim conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse, ut non dicam, potuisse, quia Deus potest omnia; sed necesse est, ut providentissima illa majestas id effecerit, quod erat melius ac rectius.

Libet igitur interrogare istos divinorum operum reprehensores, quid in homine deesse, quia imbecillior nascitur, credant? Num idcirco minus educentur homines? num minus ad summum robur ætatis provehantur? num imbecillitas aut incrementum impediat, aut salutem? quoniam quæ desunt, ratio deprehendit. — At hominis, inquiunt, educatio maximis laboribus constat : pecudum scilicet conditio melior, quod hæ omnes, cum fœtum ediderint, non nisi pastus sui curam gerunt; ex quo efficitur, ut, uberibus sua sponte distentis, alimentum lactis fœtibus ministretur, et id cogente natura, sine matrum sollicitudine appetant. — Quid? aves, quarum ratio diversa est, nonne maximos suscipiunt in educando labores, ut interdum aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur? Nidos enim, aut luto ædificant, aut virgultis et frondibus construunt; et ciborum expertes incubant ovis, et quoniam fœtus de suis corporibus alere datum non est, cibos convehunt, et totos dies in hujusmodi discursatione consumunt, noctibus vero defendunt, fovent, protegunt. Quid amplius facere homines possunt? nisi hoc solum fortasse, quod non expellunt adultos, sed perpetua necessitudine ac vinculo caritatis adjunctos habent. Quid? quod avium fœtus multo fragilior est, quam hominis : quia non materno corpore ipsum animal edunt; sed quod materni corporis fotu et calore tepefactum, animal efficiat, quod tamen cum spiritu fuerit animatum, id vero implume ac tenerum, non modo volandi, sed ambulandi quoque usu caret. Non ergo ineptissimus sit, si quis putet male cum volucribus egisse naturam : primum, quod bis nascuntur;

deinde, quod tam infirmæ, ut sint quæsitis per laborem cibis a parentibus nutriendæ. Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora prætereunt.

Quæro igitur ab iis, qui conditionem pecudum suæ præferunt, quid eligant, si Deus his deferat optionem; utrum malint humanam sapientiam cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura? Scilicet non tam pecudes sunt, ut non malint vel fragiliorem multo, quam nunc est, dummodo humanam, quam illam irrationabilem firmitatem. Sed videlicet prudentes viri, neque hominis rationem volunt cum fragilitate, neque mutorum firmitatem sine ratione. Quod nihil est tam repugnans tamque contrarium, quod unumquodque animal, aut ratio instruat necesse est, aut conditio naturæ. Si naturalibus munimentis instruatur, supervacua ratio est. Quid enim excogitabit? quid faciet? aut quid molietur? aut in quo lumen illud ingenii ostendet, cum ea, quæ possunt esse rationis, ultro natura concedat? Si autem ratione sit præditum, quid opus erit sepimentis corporis, cum semel concessa ratio naturæ munus possit implere? quæ quidem tantum valet ad ornandum tuendumque hominem, ut nihil potuerit majus ac melius a Deo dari. Denique cum et corporis non magni homo, et exiguarum virium, et valetudinis sit infirmæ, tamen quoniam id, quod est majus accepit, et instructior est cæteris animalibus, et ornatior. Nam cum fragilis imbecillisque nascatur, tamen et a mutis omnibus tutus est, et ea omnia, quæ firmiora nascuntur, etiamsi vim cœli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quam natura mutis; quoniam in illis, neque magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere potest, quominus aut opprimantur a nobis, aut nostræ subjecta sint potestati.

Potestne igitur aliquis, cum videat etiam boves lucas, aut

equos, cum immanissimis etiam corporibus ac viribus servire homini, queri de opifice rerum Deo, quod modicas vires, quod parvum corpus acceperit? nec beneficia in se divina pro merito æstimat, quod est ingrati, aut (ut verius loquamur) insani. Plato, ut hos, credo, ingratos refelleret, naturæ gratias egit, quod homo natus esset. Quod et ipsum quale sit, non est hujus materiæ ponderare. Quanto melius et sanius, qui sentit conditionem hominis esse meliorem, quam isti, qui se pecudes natos esse maluerunt. Quos si Deus in ea forte converterit animalia, quorum sortem præferunt suæ, jam profecto cupiant remigrare, magnisque clamoribus conditionem pristinam flagitent: quia non est tanti robur ac firmitas corporis, ut officio linguæ careas, aut avium per aërem liber discursatio, ut manibus indigeas: plus enim manus præstant, quam levitas ususque pennarum, plus lingua quam totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia est, ea præferre, quæ, si data sint, accipere detrectes?

CAPUT QUARTUM.

De imbecillitate hominis.

Idem queruntur, hominem morbis et immaturæ morti esse subjectum. Indignantur videlicet, non deos se esse natos. Minime, inquiunt: sed ex hoc ostendimus, hominem nulla providentia esse factum, quod aliter fieri debuit. Quid si ostendero, id ipsum magna ratione provisum esse, ut morbis vexari posset, et vita sæpe in medio cursus sui spatio rumperetur? Cum enim Deus animal, quod fecerat,

sua sponte ad mortem transire cognovisset, ut mortem ipsam, quæ est dissolutio naturæ, capere posset, dedit ei fragilitatem, quæ morti aditum ad dissolvendum animal inveniret. Nam si ejus roboris fieret, ut ad eum morbus et ægritudo adire non posset, ne mors quidem posset, quoniam mors sequela morborum est. Immatura vero mors quomodo abesset ab eo, cui esset constituta matura? Nempe nullum hominem mori volunt, nisi cum centesimum ætatis complevit annum. Quomodo illis in tanta repugnantia rerum ratio poterit constare? Ut enim ante annos centum mori quisque non possit, aliquid illi roboris, quod sit immortale, tribuendum est. Quo concesso, necesse est conditionem mortis excludi. Id autem ipsum cujusmodi potest esse, quod hominem contra morbos et ictus extraneos solidum atque inexpugnabilem faciat? Cum enim constet ex ossibus, et nervis, et visceribus, et sanguine, quid horum potest esse tam firmum, ut fragilitatem repellat ac mortem? Ut igitur homo indissolubilis sit ante id tempus, quod illi putant oportuisse constitui, ex qua ei materia corpus attribuent? Fragilia sunt omnia, quæ videri, ac tangi possunt. Superest, ut aliquid ex cœlo petant, quoniam in terra nihil est, quod non sit infirmum.

Cum ergo homo sic formandus esset a Deo, ut mortalis esset aliquando, res ipsa exigebat, ut terreno et fragili corpore fingeretur. Necesse est igitur, ut mortem recipiat quandolibet, quoniam corporalis est; corpus enim quodlibet solubile atque mortale est. Stultissimi ergo, qui de morte immatura queruntur: quoniam naturæ conditio locum illi facit. Ita consequens erit, ut morbis quoque subjectus sit; neque enim patitur natura, ut abesse possit infirmitas ab eo corpore, quod aliquando solvendum est. Sed putemus fieri posse, quemadmodum volunt, ut homo non ea conditione nascatur, qua morbo mortive subjectus sit,

nisi peracto ætatis suæ spatio, ad ultimam processerit senectutem. Non igitur vident, si ita sit constitutum, quid sequatur, omni utique cætero tempore mori nullo modo posse : sed, si prohiberi ab altero victu potest, mori poterit; res igitur exigit, ut homini qui ante certum diem mori non potest, ciborum alimentis, quia subtrahi possunt, opus non sit. Si opus cibo non erit, jam non homo ille, sed Deus fiet. Ergo (ut superius dixi) qui de fragilitate hominis queruntur, id potissimum queruntur, quod non immortales et sempiterni sint nati. Nemo, nisi senex, mori debet. Nempe ideo mori debet, quia Deus non est. Atqui mortalitas non potest cum immortalitate conjungi. Si enim mortalis est in senectute, immortalis esse in adolescentia non potest; nec est ab eo conditio mortis aliena, qui quandoque moriturus est; nec ulla immortalitas est, cui sit terminus constitutus. Ita fit, ut et immortalitas exclusa in perpetuum, et ad tempus recepta mortalitas, hominem constituat in ea conditione, ut sit in qualibet ætate mortalis.

Quadrat igitur necessitas undique, nec debuisse aliter fieri, nec fas fuisse. Sed isti rationem sequentium non vident, quia semel erraverunt in ipsa summa. Exclusa enim de rebus humanis divina providentia, necessario sequebatur, ut omnia sua sponte sint nata. Hinc invenerunt illas minutorum seminum plagas, et concursiones fortuitas, quia rerum originem non videbant. In quas se angustias cum conjecissent, jam cogebat eos necessitas existimare, animas cum corporibus nasci, et item cum corporibus extingui. Assumpserant enim nihil fieri mente divina. Quod ipsum non aliter probare poterant, quam si ostenderent esse aliqua, in quibus videretur providentiæ ratio claudicare. Reprehenderunt igitur ea, in quibus vel maxime divinitatem suam providentia mirabiliter expressit, ut illa, quæ retuli de morbis et immatura morte, cum debuerint

cogitare, his assumptis, quid necessario sequeretur (sequuntur autem illa, quæ dixi), si morbum non reciperet, neque tectis, neque vestibus indigeret. Quid enim ventos, aut imbres, aut frigora metueret, quorum vis in eo est, ut morbos afferant? Idcirco enim accepit sapientiam, ut adversus nocentia fragilitatem suam muniat. Sequatur necesse est, ut quoniam retinendæ rationis causa morbos capit, etiam mortem semper accipiat; quia is ad quem mors non venit, firmus sit necesse est : infirmitas autem habet in se mortis conditionem; firmitas vero ubi fuerit, nec senectus locum potest habere, nec mors, quæ sequitur senectutem.

Præterea sit mors certæ constituta esset ætati, fieret homo insolentissimus, et humanitate omni careret. Nam fere jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, et conscientia fragilitatis oriuntur. Denique imbecilliora, et timidiora quæque animalia congregantur, ut quoniam viribus tueri se nequeunt, multitudine tueantur : fortiora vero solitudines appetunt, quoniam robore viribusque confidunt. Homo quoque si eodem modo haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec ullius alterius auxilio indigeret, quæ societas esset? quæve ratio? quæ humanitas? aut quid esset tetrius homine? quid efferacius? quid immanius? Sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine vivere, societatem appetit, ut vita communis et ornatior fiat, et tutior. Vides igitur omnem hominis rationem in eo vel maxime stare, quod nudus fragilisque nascitur, quod morbis afficitur, quod immatura morte multatur. Quæ si homini detrahantur, rationem quoque ac sapientiam detrahi, necesse est. Sed nimis diu de rebus apertis disputo, cum sit liquidum, nihil sine providentia, nec factum esse unquam, nec fieri potuisse. De cujus operibus universis, si nunc libeat disputare per ordinem, infinita materia est. Sed ego de uno

corpore hominis tantum institui dicere, ut in eo divinæ Providentiæ potestatem, quanta fuerit, ostendam his dumtaxat in rebus, quæ sunt comprehensibiles et apertæ; nam illa quæ sunt animæ, nec subjici oculis, nec comprehendi queunt. Nunc de ipso vase hominis loquimur, quod videmus.

CAPUT QUINTUM.

De figuris animalium et membris.

In principio, cum Deus fingeret animalia, noluit ea in rotundam formæ speciem conglobare atque colligere, ut et moveri ad ambulandum, et flectere se in quamlibet partem facile possent: sed ex ipsa corporis summa produxit caput; item produxit membra quædam longius, quæ vocantur pedes, ut alternis motibus solo fixa producerent animal, quo mens tulisset, aut quo petendi cibi necessitas provocasset. Ex ipso autem vasculo corporis quatuor fecit extantia: bina posterius, quæ sunt in omnibus pedes; item bina capiti et collo proxima, quæ varios animantibus usus præbent. In pecudibus enim ac feris sunt posterioribus pedes similes, in homine autem manus, quæ non sunt ad ambulandum, sed ad faciendum temperandumque sunt natæ. Est et tertium genus, in quo priora illa, neque pedes, neque manus sunt, sed alæ, in quibus pennæ per ordinem fixæ volandi exhibent usum. Ita una fictio diversas species et usus habet. Atque ut ipsam corporis crassitudinem firmiter comprehenderet, majoribus et brevibus ossibus invicem colligatis, quasi carinam compegit, quam nos spinam dicimus, eamque noluit ex uno perpetuoque osse formare, ne gra-

diendi flectendique se facultatem animal non haberet[1]. Ex ejus parte quasi media costas, id est transversa et plana ossa porrexit in diversum, quibus clementer curvatis, et in se velut in circulum pene conductis, interna viscera contegantur, ut ea, quæ mollia et minus valida fieri opus erat, illius solidæ cratis amplexu possent esse munita[2]. In summa vero constructionis ejus, quam similem navis carinæ diximus, caput collocavit, in quo esset regimen totius animantis; datumque illi hoc nomen est, ut quidem Varro ad Ciceronem scribit, quod hinc capiant initium sensus ac nervi.

Ea vero, quæ diximus de corpore, vel ambulandi, vel faciendi, vel volandi causa esse producta, neque nimium longis, propter celerem mobilitatem, neque nimium brevibus, propter firmitatem, sed et paucis, et magnis ossibus constare voluit. Aut enim bina sunt, ut in homine; aut quaterna, ut in quadrupede : quæ tamen non fecit solida, ne in gradiendo pigritia et gravitas retardaret, sed cavata, et ad vigorem corporis conservandum medullis intrinsecus plena, eaque rursus non æqualiter porrecta finivit : sed summas eorum partes crassioribus nodis conglobavit, ut et substringi nervis facilius, et verti tutius possent, unde sunt vertibula nominata. Eos nodos firmiter solidatos leni quodam operculo texit, quod dicitur cartilago; scilicet, ut sine attritu, et sine sensu doloris aliquo flecterentur. Eosdem tamen non in unum modum informavit : alios enim fecit simplices, et in orbem rotundos, in iis dumtaxat articulis, in quibus moveri membra in omnes partes oportebat, ut in scapulis, quoniam manus utrolibet agitari, et contorqueri necessarium est : alios autem latos, et æquales, et in unam partem rotundos, et in his utique locis, ubi tantummodo curvari membra oportebat, ut in genibus, et in cubitis, et in manibus ipsis. Nam sicut manus ex eo loco,

[1] Ovid. — [2] Virgil.

unde oriuntur, ubique versus moveri, speciosum simul et utile fuit : sic profecto, si hoc idem etiam cubitis accideret, et supervacuus esset ejusmodi motus, et turpis.

Jam enim manus amissa dignitate, quam nunc habet, mobilitate nimia proboscidi similis videretur [1], essetque homo plane anguimanus : quod genus in illa immanissima bellua mirabiliter effectum est. Deus enim, qui providentiam et potestatem suam multarum rerum mirabili varietate voluit ostendere, quoniam caput ejus animalis non tam longe porrexerat, ut terram posset ore contingere, quod erat futurum horribile atque tetrum, et quia os ipsum profusis dentibus sic armaverat, ut etiamsi contingeret, pascendi tamen facultatem dentes adimerent; produxit inter eos a summa fronte molle ac flexibile membrum, quo prendere, quo tenere quodlibet posset, ne rationem victus capiendi, vel dentium prominens magnitudo, vel cervicis brevitas impediret.

CAPUT SEXTUM.

De Epicuri errore, et de membris eorumque usu.

Non possum hoc loco teneri, quominus Epicuri stultitiam rursum coarguam; illius enim sunt omnia, quæ delirat Lucretius, qui, ut ostenderet animalia non artificio aliquo divinæ mentis, sed (ut solet) fortuito esse nata, dixit, in principio mundi alias quasdam innumerabiles animantes miranda specie et magnitudine fuisse natas, sed eas permanere non potuisse, quod illas aut sumendi cibi facultas,

[1] Lucret. II.

aut coeundi generandique ratio defecisset. Videlicet ut et atomis suis locum faceret per infinitum et inane volitantibus, divinam Providentiam voluit excludere. Sed cum videret, in omnibus, quæ spirant, mirabilem Providentiæ inesse rationem, quæ (malum!) vanitas erat, dicere fuisse animalia prodigiosa, in quibus nascendi ratio cessaret?

Quoniam igitur omnia, quæ videmus, cum ratione nata sunt, id enim ipsum nasci, efficere nisi ratio non potest, manifestum est nihil omnino rationis expers potuisse generari. Ante enim provisum est in singulis quibusque fingendis, quatenus et ministerio membrorum ad necessaria vitæ uteretur, et quatenus, adjugatis corporibus elata soboles, universas generatim conservaret animantes. Nam si peritus architectus, cum magnum aliquod ædificium facere constituit, primo omnium cogitat, quæ summa perfecti ædificii futura sit, et ante emetitur, quem locum leve pondus expectet, ubi magni operis statura sit moles, quæ columnarum intervalla, qui, aut ubi aquarum cadentium decursus et exitus, et receptacula, hæc, inquam, prius providet, ut quæcunque sunt perfecto jam operi necessaria, cum ipsis fundamentis pariter ordiatur: cur Deum quisquam putet in machinandis animalibus non ante providisse, quæ ad vivendum necessaria essent, quam ipsam vitam daret? Quæ utique constare non posset, nisi prius effecta essent quibus constat.

Videbat igitur Epicurus in corporibus animalium divinæ rationis solertiam: sed ut efficeret, quod ante imprudenter assumpserat, adjecit aliud deliramentum superiori congruens. Dixit enim, neque oculos ad videndum esse natos, neque aures ad audiendum, neque pedes ad ambulandum, quoniam membra hæc prius nata sunt, quam esset usus videndi, et audiendi, et ambulandi: sed horum omnia officia ex natis extitisse. Vereor, ne hujusmodi portenta, et

ridicula refutare, non minus ineptum esse videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum inepto agimus, ne se ille nimis argutum putet. Quid ais, Epicure? Non sunt ad videndum oculi nati? Cur igitur vident? Postea, inquit, usus eorum apparuit. Videndi ergo causa nati sunt, siquidem nihil possunt aliud, quam videre. Item membra cætera, cujus rei causa nata sunt, ipse usus ostendit : qui utique nullo modo posset existere, nisi essent membra omnia tam ordinate, tam providenter effecta, ut usum possent habere.

Quid enim, si dicas aves non ad volandum esse natas, neque feras ad sæviendum, neque pisces ad natandum, neque homines ad sapiendum; cum appareat ei naturæ, officioque servire animantes, ad quod est quæque generata? Sed videlicet, qui summam ipsam veritatis amisit, semper erret necesse est. Si enim non providentia, sed fortuitis atomorum concursionibus nascuntur omnia, cur nunquam fortuito accidit, sic coïre illa principia, ut efficerent animal ejusmodi, quod naribus potius audiret, odoraretur oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullum genus positionis inexpertum relinquunt, oportuit ejusmodi quotidie monstra generari, in quibus et membrorum ordo præposterus, et usus longe diversus existeret. Cum vero universa genera, et universa quoque membra leges suas, et ordines, et usus sibi attributos tueantur, manifestum est, nihil fortuito esse factum, quoniam divinæ rationis dispositio perpetua servatur. Verum alias refellemus Epicurum; nunc de Providentia (ut cœpimus) disseramus.

CAPUT SEPTIMUM.

De omnibus corporis partibus.

Deus igitur solidamenta corporis, quæ ossa dicuntur, nodata et adjuncta invicem nervis alligavit atque constrinxit, quibus mens, si excurrere, aut resistere velit, tanquam retinaculis uteretur, et quidem nullo labore, nulloque conatu : sed vel minimo nutu totius corporis molem temperaret ac flecteret. Hæc autem visceribus operuit, ut quemque locum decebat, ut quæ solida essent, conclusa tegerentur. Item visceribus ipsis venas admiscuit, quasi rivos per corpus omne divisos, per quas discurrens humor, et sanguis, universa membra succis vitalibus irrigaret, et ea viscera, formata in eum modum, qui unicuique generi ac loco aptus fuit, superjecta pelle contexit, quam vel sola pulchritudine decoravit, vel setis adoperuit, vel squamis munivit, vel plumis insignibus adornavit. Illud vero commentum Dei mirabile, quod una dispositio, et unus habitus, innumerabiles imaginis præferat varietates. Nam in omnibus fere, quæ spirant, eadem series et ordo membrorum est. Primum enim caput, et huic annexa cervix. Item collo pectus adjunctum, et ex eo prominentes armi, adhærens pectori venter. Item ventri subnexa genitalia. Ultimo loco femina, pedesque.

Nec solum membra suum tenorem ac situm in omnibus servant, sed etiam partes membrorum. Nam in uno capite ipso certam sedem possident aures, certam oculi, nares item, os quoque, et in eo dentes et lingua. Quæ omnia cum sint eadem in omnibus animantibus, tamen infinita et

multiplex diversitas figuratorum est; quod ea quæ dixi, aut productiora, aut contractiora lineamentis varie differentibus comprehensa sunt. Quid, illud nonne divinum, quod in tanta viventium multitudine, unum quodque animal in sui genere et specie pulcherrimum est? ut si quid vicissim de altero in alterum transferatur, nihil impeditius ad utilitatem, nihil deformius ad aspectum videri necesse sit: ut si elephanto cervicem prolixam tribuas, aut camelo brevem; vel si serpentibus pedes, aut pilos addas, in quibus porrecti æqualiter corporis longitudo nihil aliud exhibeat, nisi ut maculis terga distincti, et squammarum lævitate suffulti, in lubricos tractus sinuosis flexibus laberentur. In quadrupedibus autem, idem opifex contextum spinæ a summo capite deductum longius extra corpus eduxit, et acuminavit in caudam, ut obscœnæ corporis partes, vel propter fœditatem tegerentur, vel propter teneritudinem munirentur, ut animalia quædam minuta et nocentia motu ejus arcerentur a corpore: quod membrum si detrahas, imperfectum fit animal, ac debile. Ubi autem ratio, et manus est, tam non est id necessarium, quam indumentum pilorum: adeo in suo quæque genere aptissime congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quidquam turpius possit.

Sed tamen cum ipsa nuditas hominis mire ad pulchritudinem valeat, non tamen etiam capiti congruebat; quanta enim in eo futura deformitas esset, ex calvitio apparet. Texit ergo illud pilo; et quia in summo futurum erat, quasi summum ædificii culmen ornavit: qui ornatus non est in orbem coactus, aut in figuram pilei teres factus, ne quibusdam partibus nudis esset informis, sed alicubi effusus, alicubi retractus pro cujuslibet loci decentia. Frons ergo vallata per circuitum, et à temporibus effusi ante aures capilli, et earum summæ partes in coronæ modum cinctæ, et occipitium omne contectum, speciem miri decoris ostentant.

Jam barbæ ratio incredibile est quantum conferat, vel ad dignoscendam corporum maturitatem, vel ad differentiam sexus, vel ad decorem virilitatis, ac roboris; ut videatur omnino non constatura fuisse totius operis ratio, si quidquam aliter esset effectum.

CAPUT OCTAVUM.

De hominis partibus, oculis et auribus.

Nunc rationem totius hominis ostendam, singulorumque membrorum, quæ in corpore aperta, aut operta sunt, utilitates et habitus explicabo. Cum igitur statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cœlestem, cætera universa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit, scilicet ut eodem spectaret, unde illi origo est; illa vero depressit ad terram, ut quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum projecta ventri pabuloque servirent. Hominis itaque solius recta ratio, et sublimis status, et vultus Deo patri communis ac proximus, originem suam, fictoremque testatur. Ejus prope divina mens, quia non tantum animantium, quæ sunt in terra, sed etiam sui corporis est sortita dominatum, in summo capite collocata, tanquam in arce sublimis speculatur omnia, et contuetur. Hanc ejus aulam, non obductam porrectamque formavit, ut in mutis animalibus, sed orbi et globo similem; quod omnis rotunditas perfectæ rationis est, ac figuræ. Eo igitur mens et ignis ille divinus tanquam cœlo tegitur : cujus cum summum fastigium naturali veste texisset, priorem partem,

quæ dicitur facies, necessariis membrorum ministeriis et instruxit pariter et ornavit.

Ac primum, quod oculorum orbes concavis foraminibus conclusit, a quo foratu frontem nominatam Varro existimavit; et eos, neque minus, neque amplius, quam duos esse voluit, quod ad speciem nullus est perfectior numerus, quam duorum : sicut et aures duas, quarum duplicitas incredibile est quantam pulchritudinem præferat, quod tum pars utraque similitudine ornata est, tum ut venientes altrinsecus voces facilius colligantur; nam et forma ipsa mirandum in modum ficta, quod earum foramina noluit esse nuda, et inobsepta, quod et minus decorum, et utile minus fuisset, quoniam simplicium cavernarum angustias prætervolare vox posset, nisi exceptam per cavos sinus, et repercussu retentam foramina ipsa cohiberent : illis similia vasculis, quibus impositis solent angusti oris vasa compleri.

Eas igitur aures (quibus est inditum nomen a vocibus hauriendis, unde Virgilius :

. . . . Vocem his auribus hausi;

aut quia vocem ipsam Græci αὐδὴν vocant, ab auditu, per immutationem litteræ, aures velut audes sunt nominatæ) noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare, quæ pulchritudinem demerent pendulæ atque flaccentes, neque duris ac solidis ossibus, ne ad usum inhabiles essent immobiles ac rigentes : sed quod esset horum medium excogitavit, ut eas cartilago mollior alligaret, et haberent aptam simul et flexibilem firmitatem. In his audiendi tantum officium constitutum est, sicut in oculis videndi; quorum præcipue inexplicabilis est ac mira subtilitas, quia eorum orbes gemmarum similitudinem præferentes, ab ea parte qua videndum fuit, membranis perlucentibus texit, ut imagines rerum contra positarum tanquam in speculo refulgentes, ad

sensum intimum penetrarent. Per eas igitur membranas sensus ille, qui dicitur mens, ea quæ sunt foris transpicit. Ne forte existimes, aut imaginum incursione nos cernere (ut philosophi dixerunt), quoniam videndi officium in eo debet esse quod videt, non in eo quod videtur : aut intentione aëris, cum acie aut effusione radiorum, quoniam, si ita esset, radium quem oculis advertimus, videremus, donec intentus aër cum acie, aut effusi radii ad id quod videndum esset pervenirent.

Cum autem videamus eodem momento temporis, plerumque vero aliud agentes, nihilominus tamen universa quæ contra sunt posita intueamur, verius et manifestius est mentem esse, quæ per oculos ea quæ sunt opposita, transpiciat quasi per fenestras lucente vitro, aut speculari lapide obductas. Et idcirco mens, et voluntas ex oculis sæpe dignoscitur. Quod quidem ut refelleret Lucretius, ineptissimo usus est argumento. Si enim mens (inquit) per oculos videt, erutis et effossis oculis magis videret: quoniam evulsæ cum postibus fores plus inferunt luminis, quam si fuerint obductæ. Nimirum ipsi, vel potius Epicuro, qui eum docuit, effossi oculi erant, ne viderent, effossos orbes, et ruptas oculorum fibras, et fluentem per venas sanguinem, et crescentes ex vulneribus carnes, et obductas ad ultimum cicatrices nihil posse lucis admittere, nisi forte auribus oculos similes nasci volebat, ut non tam oculis, quam foraminibus cerneremus : quo nihil ad speciem fœdius, ad usum inutilius fieri potest. Quantulum enim videre possemus, si mens ab intimis penetralibus capitis per exiguas cavernarum rimulas attenderet ; ut si quis velit transpicere per cicutam, non plus profecto cernat, quam cicutæ ipsius capacitas comprehendat. Itaque ad videndum membris potius in orbem conglobatis opus fuit, ut visus in latum spargeretur, et quæ in primori facie adhærerent, ut libere possent omnia

contueri. Ergo ineffabilis divinæ Providentiæ virtus fecit duos simillimos orbes, eosque ita devinxit, ut non in totum converti, sed moveri tamen ac flecti cum modo possent. Orbes autem ipsos humoris puri ac liquidi plenos esse voluit, in quorum media parte scintillæ luminum conclusæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus, in quibus puris ac subtilibus cernendi sensus ac ratio continetur. Per eos igitur orbes seipsam mens intendit ut videat, miraque ratione in unum miscetur et conjungitur amborum luminum visus.

CAPUT NONUM.

De sensibus, eorumque vi.

Libet hoc loco illorum reprehendere vanitatem, qui dum volunt ostendere sensus falsos esse, multa colligunt, in quibus oculi fallantur ; inter quæ illud etiam, quod furiosis et ebriis omnia duplicia videantur : quasi vero ejus erroris obscura sit causa. Ideo enim fit, quia duo sunt oculi. Sed quomodo id fiat, accipe. Visus oculorum intentione animi constat. Itaque quoniam mens (ut supra dictum est) oculis tanquam fenestris utitur, non tantum hoc ebriis, aut insanis accidit, sed et sanis, ac sobriis. Nam si aliquid nimis propius admoveas, duplex videbitur; certum est enim intervallum, ac spatium, quo acies oculorum coït. Item, si retrorsum avoces animum, quasi ad cogitandum, et intentionem mentis relaxes, tum acies oculi utriusque diducitur, tunc singuli videre incipiunt separatim.

Si animum rursus intenderis, aciemque direxeris, coït in unum quidquid duplex videbatur. Quid ergo mirum, si mens veneno, ac potentia vini dissoluta, dirigere se non

potest ad videndum, sicut ne pedes quidem ad ambulandum, nervis stupescentibus debiles? aut si vis furoris in cerebrum sæviens concordiam disjungit oculorum? Quod adeo verum est, ut luscis hominibus, si aut insani, aut ebrii fiant, nullo modo possit accidere, ut aliquid duplex videant. Quare si ratio apparet, cur oculi fallantur, manifestum est, non esse falsos sensus; qui aut non falluntur, si sunt puri et integri, aut si falluntur, mens tamen non fallitur, quæ illorum novit errorem.

CAPUT DECIMUM.

De exterioribus hominis membris, eorumque usu.

Sed nos ad Dei opera revertamur. Ut igitur oculi munitiores essent ab injuria, eos ciliorum tegminibus occuluit; unde oculos dictos esse, Varroni placet. Nam et ipsæ palpebræ, quibus mobilitas inest, et palpitatio vocabulum tribuit, pilis in ordine stantibus vallatæ, septum oculis decentissimum præbent. Quarum motus assiduus incomprehensibili celeritate concurrens, et videndi tenorem non impedit, et reficit obtutum. Acies enim, id est membrana illa perlucens, quam siccari et obarescere non oportet, nisi humore assiduo tersa pure niteat, obsolescit. Quid ipsa superciliorum fastigia pilis brevibus adornata? nonne, quasi aggeribus, et munimentum oculis, ne quid superne incidat, et speciem simul præstant? Ex quorum confinio nasus exoriens, et veluti æquali porrectus jugo, utramque aciem simul et discernit et munit. Inferius quoque genarum non indecens tumor, in similitudinem collium leniter exurgens,

ab omni parte oculos officit tutiores; provisumque est ab artifice summo, ut si quis forte vehementior ictus exstiterit, eminentibus repellatur. Nasi vero pars superior usque ad medium solida formata est, inferior autem cartilagine adhærente mollita, ut ad usum digitorum possit esse tractabilis. In hoc autem, quamvis simplici membro, tria sunt officia constituta; unum ducendi spiritus; alterum capiendi odoris; tertium ut per ejus cavernas purgamenta cerebri defluant: quas ipsas Deus quam mirabili, quam divina ratione molitus est, ut tamen hiatus ipse nasi oris speciem non deformaret. Quod erat plane futurum, si unum ac simplex foramen pateret. At id velut pariete per medium ducto intersepsit atque divisit, fecitque ipsa duplicitate pulcherrimum. Ex quo intelligimus, quantum dualis numerus, una et simplici compage solidatus, ad rerum valeat perfectionem.

Nam cum sit corpus unum, tamen totum ex simplicibus membris constare non poterat, nisi ut essent partes vel dextræ vel sinistræ. Itaque ut pedes duo, et item manus, non tantum ad utilitatem aliquam usumque, vel gradiendi, vel faciendi valent, sed et habitum, decoremque admirabilem conferunt: sic in capite, quod totius divini operis quasi culmen est, et auditus in duas aures, et visus in duas acies, et odoratio in duas nares a summo Artifice divisa est; quia cerebrum, in quo sentiendi ratio est, quamvis sit unum, tamen in duas partes membrana interveniente discretum est. Sed et cor, quod sapientiæ domicilium videtur, licet sit unum, duos tamen intrinsecus sinus habet, quibus fontes vivi sanguinis continentur, septo intercedente divisi; ut sicut in ipso mundo summa rerum vel de simplici duplex, vel de duplici simplex, et gubernat, et continet totum: ita in corpore de duobus universa compacta, indissociabilem prætenderent unitatem. Oris quoque species, et rictus ex transverso patefactus, quam utilis, quam decens sit, enarrari non potest:

cujus usus in duobus constat officiis, sumendi victus, et loquendi.

Lingua intus inclusa, quæ vocem motibus suis in verba discernit, et est interpres animi; nec tamen sola potest per se loquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi juta vel offensione dentium, vel compressione labiorum: dentes tamen plus conferunt ad loquendum; nam et infantes non ante incipiunt fari, quam dentes habuerint et senes amissis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuo esse videantur. Sed hæc ad hominem solum pertinent, aut ad aves, in quibus acuminata et vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuum flexiones, et sonorum varios modos exprimit. Habet præterea et aliud officium, quo in omnibus, sed tamen solo in mutis utitur, quod contritos et commolitos dentibus cibos colligit, et conglobatos vi sua deprimit, et transmittit ad ventrem. Itaque Varro a ligando cibo putat linguæ nomen impositum. Bestias etiam potu adjuvat; protenta enim cavataque hauriunt aquam, eamque comprehensam linguæ sinu, ne tarditate ac mora effluat, ad palatum celeri mobilitate complodunt. Hæc itaque palati concavo tanquam testudine tegitur; eamque dentium septis Deus quasi muro circumvallavit.

Dentes autem ipsos mirabili modo per ordinem fixos, ne nudi ac restricti magis horrori, quam ornamento essent, gingivis mollibus, quæ a gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honestavit, quorum durities, sicut in molari lapide, major est et asperior, quam in cæteris ossibus, ut ad conterendos cibos pabulamque sufficerent. Labra ipsa, quæ quasi antea cohærebant, quam decenter intercidit; quorum superius sub ipsa medietate narium lacuna quadam levi, quasi valle signavit, inferius honestatis gratia foras molliter explicavit. Nam quod attinet

ad saporem capiendum, fallitur, quisquis hunc sensum palato inesse arbitratur; lingua est enim, qua sapores sentiuntur: nec tamen tota; nam partes ejus, quæ sunt ab utroque latere teneriores, saporem subtilissimis sensibus trahunt. Et cum neque ex cibo quidquam, neque ex potione minuatur; tamen inenarrabili modo penetrat ad sensum sapor, eadem ratione, qua nihil de quaque materia odoris capio decerpit.

Cætera quam decora sint, vix exprimi potest. Deductum clementer a genis mentum, et ita inferius conclusum, ut acumen ejus extremum signare videatur levitas impressa divisio; rigidum ac teres collum; scapulæ velut mollibus jugis a cervice demissæ; valida et substricta nervis ad fortitudinem brachia; insignibus toris extantium lacertorum vigens robur; utilis ac decens flexura cubitorum. Quid dicam de manibus, rationis ac sapientiæ ministris? quas solertissimus artifex plano ac modice concavo sinu fictas, ut si quid tenendum sit, apte possit insidere, in digitos terminavit: in quibus difficile est expedire, utrumne species, an utilitas major sit. Nam et numerus perfectus, ac plenus, et ordo ac gradus decentissimus, et articulorum parium curvatura flexibilis, et forma unguium rotunda, concavis tegminibus digitorum fastigia comprehendens atque firmans, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornatum. Illud vero ad usum miris modis habile, quod unus a cæteris separatus cum ipsa manu oritur, et in diversum maturius funditur: qui se velut obvium cæteris præbens, omnem tenendi faciendique rationem vel solus, vel præcipue possidet, tanquam rector omnium atque moderator; unde etiam pollicis nomen accepit, quod vi et potestate inter cæteros polleat. Duos quidem articulos extantes habet, non ut alii ternos, sed unus ad manum carne connectitur pulchritudinis gratia. Si enim fuisset tribus articulis et ipse

discretus, fœda et indecora species ademisset manibus honestatem.

Jam pecteris latitudo sublimis, et exposita oculis, mirabilem præ se fert habitus sui dignitatem. Cujus hæc causa est, quod videtur hominem solum Deus veluti supinum formasse (nam fere nullum aliud animal jacere in tergum potest), mutas autem animantes quasi alterno latere jacentes finxisse, atque ad terram compressisse. Idcirco illis angustum pectus, et ab aspectu remotum, et ad terram versus abjectum; homini autem patens et erectum; quia plenum rationis a cœlo datæ, humile, aut indecens esse non debuit. Papillæ quoque leviter eminentes, et fuscioribus ac parvis orbibus coronatæ, non nihil addunt venustatis, fœminis ad alendos fœtus datæ, maribus ad solum decus, ne informe pectus, et quasi mutilum videretur. Huic subdita est planities ventris, quam mediam fere umbilicus non indecenti nota signat, ad hoc factus, ut per eum fœtus, dum est in utero, nutriatur.

CAPUT UNDECIMUM.

De intestinis in homine, eorumque usu.

Sequitur necessario, ut de internis quoque visceribus dicere incipiam: quibus non pulchritudo, quia sunt abdita, sed utilitas incredibilis attributa est, quoniam opus fuerat, ut terrenum hoc corpus succo aliquo de cibis ac potibus aleretur, sicut terra ipsa imbribus ac pruinis. Providentissimus artifex in medio ejus receptaculum cibis fecit, quibus concoctis et liquefactis, vitales succos membris omnibus dispertiret. Sed cum homo constet ex corpore atque anima,

illud quod supra dixi receptaculum soli corpori præstat alimentum : animæ vero aliam sedem dedit. Fecit enim genus quoddam viscerum molle atque rarum, quod pulmonem vocamus, in quod spiritus reciproca vicissitudine commearet; eumque non in uteri modum finxit, ne effunderetur simul spiritus, aut inflaret simul. Ideoque ne plenum quidem viscus effecit, sed inflabile, atque aeris capax, ùt paulatim spiritum reciperet, dum vitalis ventus per illam spargitur raritatem, et eumdem rursus paulatim redderet, dum se ex illo explicat. Ipsa enim vicissitudo flandi et spirandi, respirandique tractus, vitam sustentat in corpore.

Quoniam ergo duo sunt in homine receptacula, unum aeris, quod alit animam (15), alterum ciborum, quod alit corpus, ut flecti cervix, ac moveri facile possit, duas esse per collum fistulas necesse est, cibalem, ac spiritalem, quarum superior ab ore ad ventrem ferat, inferior a naribus ad pulmonem. Quarum ratio, et natura diversa est. Ille enim qui est ab ore transitus, mollis effectus est, et qui semper clausus cohæreat sibi, sicut os ipsum, quoniam potus et cibus, dimota et patefacta gula, quia corporales sunt, spatium sibi transmeandi faciunt. Spiritus contra, qui est incorporalis ac tenuis, quia spatium sibi facere non poterat, accepit viam patentem, quæ vocatur gurgulio. Is constat ex ossibus flexuosis ac mollibus, quasi ex annulis in cicutæ modum invicem compactis et cohærentibus; patetque semper hic transitus. Nullam enim requiem meandi habere spiritus potest, quia is, qui semper commeat, demissa utiliter de cerebro membri portione, cui uva nomen est, velut occursu quodam refrœnatur, ne aut teneritudinem domicilii cum impetu veniens attracta pestilenti aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perferat. Ideoque etiam nares breviter sunt apertæ, quæ idcirco sic nominantur, quia per eas vel

odor, vel spiritus nare non desinit, quæ sunt hujus fistulæ quasi ostia. Tamen hæc fistula spiritalis non tantum ad nares, verum ad os quoque interpatet in extremis palati regionibus, ubi se colles faucium, spectantes uvam tollere incipiunt in tumorem. Cujus rei causa et ratio non obscura est; loquendi enim facultatem non haberemus, si, ut gulæ iter ad os tantum, ita gurgulio ad nares tantum pateret, nec procedens ex eo spiritus efficere vocem sine linguæ ministerio posset.

Aperuit igitur viam voci divina solertia ex illa fistula spiritali, ut posset lingua ministerio suo fungi, et vocis ipsius inoffensum tenorem pulsibus suis in verba concidere. Qui meatus, si aliquo interceptus sit, mutum faciat necesse est. Errat enim profecto, quisquis aliam causam putat, cur homines muti sint. Non enim (ut vulgo creditur) vinctam gerunt linguam: sed ii vocalem illum spiritum per nares quasi mugientes profundunt, quod voci transitus ad os aut nullus omnino est, aut non sic patens, ut plenam vocem possit emittere Quod plerumque natura fit; aliquando etiam casu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obseptus vocem non transmittat ad linguam, faciatque de loquentibus mutos. Quod cum acciderit, auditum quoque obstrui necesse est; ut quia vocem emittere non potest, ne admittere quidem possit. Loquendi ergo causa patefactus est hic meatus. Illud quoque præstat, ut in lavacris celebrandis, quia nares calorem ferre non possunt, aer fervens ore ducatur; item, si forte spiramenta narium frigoris pituita præcluserit, per os auram trahere possimus, ne obstructa meandi facultate, spiritus stranguletur. Cibi vero in alvum recepti, et cum potus humore permisti, cum jam calore percocti fuerint, eorum succus inenarrabili modo per membra diffusus, irrigat universum corpus, et vegetat.

Intestinorum quoque multiplices spiræ, ac longitudo in se convoluta, et uno tamen substricta vinculo, quam miri-

ficum Dei opus est! Nam ubi maceratos ex se cibos alvus emiserit, paulatim per illos internorum anfractus extruduntur, ut quidquid ipsis inest succi, quo corpus alitur, membris omnibus dividatur. Et tamen necubi forte obhæreant, ac resistant, quod fieri poterat, propter ipsorum voluminum flexiones in se sæpe redeuntes, et fieri sine pernicie non poterat, oblevit ea intrinsecus crassiore succo, ut purgamenta illa ventris ad exitus suos facilius per lubricum niterentur. Illa quoque ratio subtilissima est, quod vesica, cujus usum volucres non habent, cum sit ab intestinis separata, nec ullam habeat fistulam, qua ex illis urinam trahat, completur tamen, et humore distenditur. Id quomodo fiat, non est difficile pervidere. Intestinorum enim partes, quæ ab alvo cibum potumque suscipiunt, patentiores sunt quam cæteræ spiræ, et multo tenuiores. Hæ vesicam circumplectuntur, et continent: ad quas partes cum potus et cibus mista pervenerint, fimum quidem crassius fit, et transmeat, humor autem omnis per illam teneritudinem percolatur, eumque vesica, cujus æque tenuis subtilisque membrana est, absorbet, et colligit, ut foras, qua natura exitum patefecit, emittat.

CAPUT DUODECIMUM.

De utero, et conceptione, atque sexibus.

De utero quoque et conceptione, quoniam de internis loquimur, dici necesse est, ne quid præterisse videamur: quæ quamquam, in operto latent, sensum tamen atque intelligentiam latere non possunt. Vena in maribus, quæ seminium continet, duplex est, paulo interior quam illud humoris obscœni receptaculum. Sicut enim renes duo sunt,

ita testes, ita et venæ seminales duæ, in una tamen compage cohærentes; quod videmus in corporibus animalium, cum interfecta patefiunt : sed illa dexterior masculinum continet semen, sinisterior fœmininum; et omnino in toto corpore pars dextra masculina est, sinistra vero fœminina. Ipsum semen quidam putant ex medullis tantum, quidam ex omni corpore ad venam genitalem confluere, ibique concrescere. Sed hoc, humana mens, quomodo fiat, non potest comprehendere. Item in fœminis uterus in duas se dividit partes, quæ in diversum diffusæ ac reflexæ, circumplicantur, sicut arietis cornua. Quæ pars in dextram retorquetur, masculina est; quæ in sinistram, fœminina.

Conceptum igitur Varro et Aristoteles sic fieri arbitrantur. Aiunt non tantum maribus inesse semen, verum etiam fœminis, et inde plerumque matribus similes procreari : sed earum semen sanguinem esse purgatum, quod si recte cum virili mistum sit, utraque concreta et simul coagulata informari : et primum quidem cor hominis effingi, quod in eo sit et vita omnis et sapientia; denique totum opus quadragesimo die consummari. Ex abortionibus hæc fortasse collecta sunt. In avium tamen fœtibus primum oculos fingi, dubium non est, quod in ovis sæpe deprehendimus. Unde fieri non posse arbitror, quin fictio a capite sumat exordium.

Similitudines autem in corporibus filiorum sic fieri putant. Cum semina inter se permista coalescunt, si virile superaverit, patri similem provenire, seu marem, seu fœminam; si muliebre prævaluerit, progeniem cujusque sexus ad imaginem respondere maternam. Id autem prævalet e duobus, quod fuerit uberius; alterum enim quodammodo amplectitur et includit : hinc plerumque fieri, ut unius tantum lineamenta prætendat. Si vero æqua fuerit ex pari semente permistio, figuras quoque misceri; ut soboles illa

communis, aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet, aut utrumque, qui partem de singulis mutuata est. Nam in corporibus animalium videmus, aut confundi parentum colores, ac fieri tertium neutri generantium simile; aut utriusque sic exprimi, ut discoloribus membris per omne corpus concors mistura varietur. Dispares quoque naturæ hoc modo fieri putantur. Cum forte in lævam uteri partem masculinæ stirpis semen inciderit, marem quidem gigni opinatio est : sed quia sit in fœminina parte conceptus, aliquid in se habere fœmineum, supra quam decus virile patiatur; vel formam insignem, vel nimium candorem, vel corporis levitatem, vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura. Item, si partem in dextram semen fœminini sexus influxerit, fœminam quidem procreari : sed quoniam in masculina parte concepta sit, habere in se aliquid virilitatis, ultra quam sexus ratio permittat; aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuscum colorem, aut hispidam faciem, aut vultum indecorum, aut vocem robustam, aut animum audacem, aut ex his plura.

Si vero masculinum in dexteram, fœmininum in sinistram pervenerit, utrosque fœtus recte provenire; ut et fœminis per omnia naturæ suæ decus constet, et maribus tam mente, quam corpore robur virile servetur. Istud vero ipsum quam mirabile institutum Dei, quod, ad conservationem generum singulorum, duos sexus maris ac fœminæ machinatus est, quibus inter se per voluptatis illecebras copulatis, successiva soboles pararetur, ne omne genus viventium conditio mortalitatis extingueret. Sed plus roboris maribus attributum est, quo facilius ad patientiam jugi maritalis fœminæ cogerentur. Vir itaque nominatus est, quod major in eo vis est, quam in fœmina; et hinc virtus nomen

accepit. Item mulier (ut Varro interpretatur) a mollitie, immutata et detracta littera, velut mollier; cui suscepto fœtu, cum partus appropinquare jam cœpit, turgescentes mammæ dulcibus siccis distenduntur, et ad nutrimenta nascentis fontibus lacteis fœcundum pectus exuberat. Nec enim decebat aliud, quam ut sapiens animal a corde alimoniam duceret. Idque ipsum solertissime comparatum est, ut candens ac pinguis humor teneritudinem novi corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos, et dentibus instruatur, et viribus roboretur. Sed redeamus ad propositum, ut cætera, quæ supersunt, breviter explicemus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De membris inferioribus.

Poteram nunc ego ipsorum quoque genitalium membrorum mirificam rationem tibi exponere, nisi me pudor ab hujusmodi sermone revocaret : itaque a nobis indumento verecundiæ, quæ sunt pudenda, velentur. Quod ad hanc rem attinet, queri satis est, homines impios ac profanos summum nefas admittere, qui divinum et admirabile Dei opus, ad propagandam successionem inexcogitabili ratione provisum et effectum, vel ad turpissimos quæstus, vel ad obscænæ libidinis pudenda opera convertunt; ut jam nihil aliud ex re sanctissima petant, quam inanem et sterilem voluptatem. Quid reliquæ corporis partes, num carent ratione, ac pulchritudine? Conglobata in nates caro, quam sedendi officio apta! et eadem firmior, quam in cæte

ris membris, ne premente corporis mole ossibus cederet. Item feminum deducta, et latioribus toris valida longitudo, quo facilius onus corporis sustineret, quam paulatim deficientem in angustum genua determinant, quorum decentes nodi flexuram pedibus, ad gradiendum sedendumque aptissimam, præbent. Item crura non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes, sed teretibus suris clementer extantibus, sensimque tenuatis, et firmata sunt et ornata.

In plantis vero eadem quidem, sed tamen longe dispar, quam in manibus ratio est : quæ, quoniam totius corporis quasi fundamenta sunt, mirificus eas artifex non rotunda specie, ne homo stare non posset, aut aliis ad standum pedibus indigeret, sicut quadrupedes, sed porrectiores, longioresque formavit, ut stabile corpus efficerent planitie sua; unde illis inditum nomen est. Digiti æque totidem, quot in manibus, speciem magis, quam usum majorem præferentes, ideoque et juncti, et breves et gradatim compositi : quorum qui est maximus, quoniam illum sicut in manu discerni a cæteris opus non erat, ita in ordinem redactus est, ut tamen ab aliis magnitudine, ac modico intervallo distare videatur. Hæc eorum speciosa germanitas, non levi adjumento nisum pedum firmat; concitari enim ad cursum non possumus, nisi digitis in humum pressis, soloque nitentibus, impetum saltemque capiamus. Explicasse videor omnia, quorum ratio intelligi potest. Nunc ad ea venio, quæ vel dubia, vel obscura sunt.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De intestinorum quorumdam ignota ratione.

Multa esse constat in corpore, quorum vim, rationemque perspicere nemo, nisi qui fecit, potest. An aliquis enarrare se putat posse, quid utilitatis, quid effectus habeat tenuis membrana illa perlucens, qua circumretitur alvus, ac tegitur? Quid renum gemina similitudo? quos ait Varro ita dictos, quod rivi ab his obscœni humoris oriantur: quod est longe secus, quia spinæ altrinsecus supini cohærent, et sunt ab intestinis separati. Quid splen? quid jecur? quæ viscera quasi ex conturbato sanguine videntur esse concreta: quid fellis amarissimus liquor? quid globus cordis? Nisi forte illis credendum putabimus, qui affectum iracundiæ in felle constitutum putant, pavoris in corde, in splene lætitiæ. Ipsius autem jecoris officium volunt esse, ut cibos in alvo concoquat amplexu et calefactu suo: quidam libidines rerum venerearum in jecorum contineri arbitrantur.

Primum ista perspicere acumen humani sensus non potest; quia horum officia in operto latent, nec usus suos patefacta demonstrant. Nam si ita esset, fortasse placidiora quæque animalia, vel nihil fellis omnino, vel minus haberent, quam feræ; timidiora, plus cordis, salaciora, plus jecoris, lasciviora, plus splenis habuissent. Sicuti igitur nos sentimus, audire auribus, oculis cernere, naribus odorare: ita profecto sentiremus, nos felle irasci, jecore cupere, splene gaudere. Cum autem, unde affectus isti veniant, minime sentiamus, fieri potest, ut aliunde veniant, et aliud viscera illa, quam suspicamur, efficiant. Nec tamen convin-

cere possumus, falsa illos, qui hæc disputant, dicere. Sed omnia, quæ ad motus animi animæque pertineant, tam obscuræ altæque rationis esse arbitror, ut supra hominem sit, ea liquido pervidere. Id tamen certum et indubitatum esse debet, tot res, tot viscerum genera, unum et idem habere officium, ut animam contineant in corpore. Sed quid proprie muneris singulis sit injunctum, quis scire, nisi artifex, potest, cui soli opus suum notum est?

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De voce.

De voce autem quam rationem reddere possumus? Grammatici quidem ac philosophi vocem esse definiunt, aerem spiritu verberatum: unde verba sunt nuncupata, quod perspicue falsum est. Non enim vox extra os gignitur, sed intra; et ideo verisimilior est illa sententia, stipatum spiritum, cum obstantia faucium fuerit illisus, sonum vocis exprimere: veluti cum in patentem cicutam, labroque subjectam demittimus spiritum, et is cicutæ concavo repercussus ac revolutus a fundo, dum ad descendentem occursu suo redit, ad exitum nitens, sonum gignit, et in vocalem spiritum resiliens per se ventus animatur. Quod quidem an verum sit, Deus artifex viderit. Videtur enim non ab ore, sed ab intimo pectore vox oriri. Denique et ore clauso, ex naribus emittitur sonus qualis potest. Præterea et maximo spiritu, quo anhelamus, vox non efficitur, et levi, et non coarctato spiritu, quoties volamus, efficitur. Non est igitur comprehensum, quomodo fiat, aut quid fit omnino. Nec

me nunc in Academiæ sententiam delabi putes, quia non omnia sunt incomprehensibilia. Ut enim fatendum est multa nesciri, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere : sic tamen multa esse, quæ possint et sensibus percipi, et ratione comprehendi. Sed erit nobis contra philosophos integra disputatio. Conficiamus igitur spatium, quod nunc decurrimus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De mente, et ejus sede.

Mentis quoque rationem incomprehensibilem esse, quis nesciat, nisi qui omnino illam non habet, cum ipsa mens quo loco sit, aut cujusmodi, nesciatur? Varia ergo a philosophis de natura ejus, ac loco disputata sunt. At ego non dissimulabo quid ipse sentiam; non quia sic esse affirmem (quod est insipientis in re dubia facere), sed ut, exposita rei difficultate, intelligas quanta sit divinorum operum magnitudo. Quidam sedem mentis in pectore esse voluerunt. Quod si ita est, quanto tandem miraculo dignum est, rem in obscuro ac tenebroso habitaculo sitam, in tanta rationis atque intelligentiæ luce versari! tum quod ad eam sensus ex omni corporis parte conveniunt, ut in qualibet regione membrorum præsens esse videatur. Alii sedem ejus in cerebro esse dixerunt. Et sane argumentis probabilibus usi sunt : oportuisse scilicet, quod totius corporis regimen haberet, potius in summo, tanquam in arce habitare; nec quidquam esse sublimius, quam id, quod universum ratione moderetur, sicut ipse mundi dominus et rector in summo est. Deinde quod sensus omnis, id est audiendi, et

videndi, et odorandi ministra membra in capite sint locata, quorum omnium viæ non ad pectus, sed ad cerebrum ferant : alioqui necesse nos esset tardius sentire, donec sentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus usque descenderet. Ii vero aut non multum, aut fortasse non errant.

Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tanquam in cœlo Deus : sed cum in aliqua sit cogitatione, commeare ad pectus, et quasi ad secretum aliquod penetrale secedere, ut consilium, tanquam ex thesauro recondito, eliciat ac proferat; ideoque cum intenti ad cogitandum sumus, et cum mens occupata in altum se abdiderit, neque audire quæ circumsonant, neque videre, quæ obstant, solemus. Id vero sive ita est, admirandum profecto est, quomodo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat. Sin autem non est ita, tamen nihilominus admirandum est, quod divina nescio qua ratione fiat, ut ita esse videatur. An potest aliquis non admirari, quod sensus ille vivus atque cœlestis, qui mens vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis est, ut ne tum quidem, cum sopitus est, conquiescat; tantæ celeritatis, ut uno temporis puncto cœlum omne collustret, et si velit, maria pervolet, terras ac urbes peragret, omnia denique, quæ libuerit quamvis longe lateque summota sint, in conspectu sibi ipse constituat?

Et miratur aliquis, si divina mens Dei per universas mundi partes intenta discurrit, et omnia regit, omnia moderatur, ubique præsens, ubique diffusa; cum tanta sit vis ac potestas mentis humanæ intra mortale corpus inclusæ, ut ne septis quidem gravis hujus ac pigri corporis, cui alligata est, coerceri ullo pacto possit, quominus sibi liberam vagandi facultatem, quietis impatiens, largiatur? Sive igitur in capite mens habitat, sive in pectore, potestne aliquis comprehendere quæ vis rationis efficiat, ut sensus ille in-

comprehensibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo sanguine bipartito, qui est inclusus in corde? ac non ex eo ipso colligat, quanta sit Dei potestas, quod animus seipsum non videt, aut qualis, aut ubi sit; nec si videat, tamen perspicere possit quo pacto rei corporali res incorporalis adjuncta sit? Sive etiam mentis locus nullus est, sed per totum corpus sparsa discurrit, quod et fieri potest, et a Xenocrate Platonis discipulo disputatum est, siquidem sensus in qualibet parte corporis præsto est, nec quid sit mens ipsa, nec qualis, intelligi potest, cum sit natura ejus tam subtilis ac tenuis, ut solidis visceribus infusa, vivo, et quasi ardenti sensu, membris omnibus misceatur.

Illud autem cave, ne unquam simile veri putaveris, quod Aristoxenus dixit: mentem omnino nullam esse; sed quasi harmoniam in fidibus, ex constructione corporis, et compagibus viscerum vim sentiendi existere. Musici enim intentionem concentumque nervorum in integros modos, sine ulla offensione consonantium, harmoniam vocant. Volunt igitur animum simili ratione constare in homine, qua et concors modulatio constat in fidibus; scilicet, ut singularum corporis partium firma conjunctio, membrorumque omnium consentiens in unum vigor, motum illum sensibilem faciat, animumque concinnet, sicut sunt nervi bene intenti ad conspirantem sonum. Et sicut in fidibus, cum aliquid aut interruptum, aut relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur et solvitur: ita in corpore, cum pars aliqua membrorum duxerit vitium, destrui universa, corruptisque omnibus atque turbatis, occidere sensum; eamque mortem vocari. Verum ille, si quidquam mentis habuisset, non harmoniam de fidibus ad hominem transtulisset. Non enim canere sua sponte fides possunt, ut sit ulla in his comparatio ac similitudo viventis. Animus autem sua sponte et cogitat, et movetur. Quod si quid in nobis harmoniæ simile

esset, ictu moveretur externo, sicut nervi manibus, qui sine tactu artificis pulsuque digitorum, muti atque inertes jacent. Sed nimirum pulsandus ille manu fuit, ut aliquando sentiret; quia mens ejus ex membris male compacta torpebat.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De anima, deque ea sententia philosophorum.

Superest de anima dicere, quanquam percipi ratio ejus, et natura non possit. Nec ideo tamen immortalem esse animam non intelligimus; quoniam quidquid viget, moveturque per se semper, nec videri, aut tangi potest, æternum sit necesse est. Quid autem sit anima, nondum inter philosophos convenit, nec unquam fortasse conveniet. Etenim alii sanguinem esse dixerunt, alii ignem, alii ventum; unde anima, vel animus nomen accepit, quod græce ventus ἄνεμος dicitur: nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid videtur. Non enim, si anima sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumpto, videtur extingui, continuo in materia sanguinis animæ ratio ponenda est: veluti si veniat in quæstionem, lumen quo utimur, quid sit, et respondeatur oleum esse, quoniam, consumpto illo, lumen extinguitur; cum sint utique diversa, sed alterum sit alterius alimentum. Videtur ergo anima similis esse lumini, quæ non ipsa sit sanguis, sed humore sanguinis alatur, ut lumen oleo.

Qui autem ignem putaverunt, hoc usi sunt argumento, quod præsente anima corpus caleat, recedente frigescat. Sed ignis et sensu indiget, et videtur, et tactu comburit. Anima vero et sensu aucta est, et videri non potest, et non

adurit. Unde apparet, animam nescio quid esse Deo simile. At illi qui ventum putant, hoc falluntur, quod ex aere spiritum ducentes, vivere videamur. Varro ita definit : « Anima » est aer conceptus ore, tepefactus in pulmone, fervefactus » in corde, diffusus in corpus. » Hæc apertissime falsa sunt. Neque enim tam obscuram nobis hujusmodi dico esse rationem, ut ne hoc quidem intelligamus, quid verum esse non possit. An si mihi quis dixerit, æneum esse cœlum, aut vitreum, aut, ut Empedocles ait, aerem glaciatum, statimne assentiar, quia cœlum ex qua materia sit ignorem? Sicut enim hoc nescio, ita illud scio. Anima ergo non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aer ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, ut quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus, cum fœtum in utero necessitas divina formavit; quia adeo vivit intra viscera genitricis, ut et incremento augeatur, et crebris pulsibus gestiat emicare. Denique abortum fieri necesse est, si fuerit animal intus extinctum. Cæteræ definitionis partes eo spectant, ut illis novem mensibus, quibus in utero fuimus, mortui fuisse videamur. Nulla ergo ex his tribus vera sententia est. Nec tamen in tantum falsos esse dicendum est, qui hæc senserunt, ut omnino nihil dixerint: nam et sanguine simul, et calore, et spiritu vivimus. Sed cum constet anima in corpore his omnibus adunatis, non expresserunt proprie quid esset, quia tam non potest exprimi, quam videri.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De anima et animo, eorumque affectionibus.

Sequitur alia et ipsa inextricabilis quæstio : idemne sit anima et animus; an vero aliud sit illud quo vivimus, aliud autem quo sentimus et sapimus. Non desunt argumenta in utramque partem. Qui enim unum esse dicunt, hanc rationem sequuntur, quod neque vivi sine sensu possit, neque sentiri sine vita; ideoque non posse esse diversum id quod non potest separari, sed quidquid est illud, et vivendi officium, et sentiendi habere rationem. Idcirco animum et animam indifferenter appellant duo epicurei poetæ. Qui autem dicunt esse diversa, sic argumentantur : ex eo posse intelligi, aliud esse mentem, aliud animam, quia incolumi anima mens possit extingui, quod accidere soleat insanis; item, quod anima morte sopiatur, animus somno, et quidem sic, ut non tantum, quid fiat, aut ubi sit, ignoret, sed etiam rerum falsarum contemplatione fallatur. Quod ipsum quomodo fiat, non potest pervideri; cur fiat, potest. Nam requiescere nullo pacto possumus, nisi mens visionum imaginibus occupata teneatur. Latet autem mens oppressa somno, tanquam ignis obducto cinere sopitus, quem si paululum commoveris, rursus ardescit, et quasi evigilat. Avocatur ergo simulacris, donec membra sopore irrigata vegetentur; corpus enim, vigilante sensu, licet jaceat immobile, tamen non est quietum, quia flagrat in eo sensus, et vibrat ut flamma, et artus omnes ad se astrictos tenet.

Sed postquam mens ad contemplandas imagines ab inten-

tione traducta est, tunc demum corpus omne resolvitur in quietem. Traducitur autem mens cogitatione cæca, cum cogentibus tenebris secum tantummodo esse cœperit : dum intenta est in ea, de quibus cogitat, repente somnus obrepit, et in species proximas sensim ipsa cogitatio declinat : sic ea, quæ sibi ante oculos posuerat, videre quoque incipit. Deinde procedit ulterius, et sibi avocamenta invenit, ne saluberrimam quietem corporis interrumpat. Nam ut mens per diem veris visionibus avocatur, ne obdormiat : ita falsis nocte, ne excitetur. Nam si nullas imagines cernat, aut vigilare illam necesse erit, aut perpetua morte sopiri. Dormiendi ergo causa tributa est a Deo ratio somniandi; et quidem in commune universis animantibus : sed illud homini præcipue, quod cum eam rationem Deus quietis causa daret, facultatem sibi reliquit docendi hominem futura per somnium. Nam et historiæ sæpe testantur, extitisse somnia quorum præsens et admirabilis fuerit eventus, et responsa vatum nostrorum ex parte somnii constiterunt. Quare neque semper vera sunt, neque semper falsa, Virgilio teste, qui duas portas voluit esse somniorum. Sed quæ falsa sunt, dormiendi causa videntur; quæ vera, immittuntur a Deo, ut imminens bonum aut malum hac revelatione discamus.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De anima, eaque a Deo data.

Illud quoque venire in quæstionem potest, utrumne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur. Sed ego id in eo jure ab ancipiti vendico. Nihil

enim ex his tribus verum est, quia neque ex utroque, neque ex alterutro seruntur animæ. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque, de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.

> Denique, cœlesti sumus omnes semine oriundi:
> Omnibus ille idem pater est [1],

ut ait Lucretius. Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. Nec putari pater debet, qui transfudisse, aut inspirasse animam de suo nullo modo sentit; nec, si sentiat, quando tamen, aut quomodo id fiat, habet animo comprehensum.

Ex quo apparet, non a parentibus dari animas, sed ab uno eodemque omnium Deo patre, qui legem rationemque nascendi tenet solus, siquidem solus efficit. Nam terreni parentis nihil est, nisi ut humorem corporis, in quo est materia nascendi, cum sensu voluptatis emittat, vel recipiat; et citra hoc opus homo resistit, nec amplius quidquam potest: et ideo nasci sibi filios optant, quia non ipsi faciunt. Cætera jam Dei sunt omnia, scilicet conceptus ipse, et corporis informatio, et inspiratio animæ, et partus incolumis, et quæcumque deinceps ad hominem conservandum valent; illius munus est, quod spiramus, quod vivimus, quod vigemus [2]. Nam præterquam quod ipsius beneficio incolumes sumus corpore, et quod victum nobis ex variis rebus subministrat, sapientiam quoque homini tribuit, quam terrenus pater dare nullo modo potest. Ideoque et de sapientibus stulti, et de stultis sapientes sæpe nascuntur; quod quidam fato ac sideribus assignant. Sed non est hoc locus de fato

[1] Lucret. II, 990. — [2] Act. XXII, 28.

disserendi. Hoc dicere satis est, quod etiamsi astra efficientiam rerum continent, nihilominus a Deo omnia fieri certum est, qui astra ipsa et fecit, et ordinavit. Inepti ergo, qui hanc potestatem Deo detrahunt, et operi ejus attribuunt.

Hoc igitur Dei munere cœlesti atque præclaro, an utamur, an non utamur, in nostra esse voluit potestate. Hoc enim concesso, ipsum hominem virtutis sacramento religavit, quo vitam posset adipisci. Magna est enim vis hominis, magna ratio, magnum sacramentum : a quo si quis non defecerit, nec fidem suam devotionemque prodiderit; hic beatus, hic denique (ut breviter finiam) similis Deo sit, necesse est. Errat enim quisquis hominem carne metitur. Nam corpusculum hoc, quo induti sumus, hominis receptaculum est. Nam ipse homo neque tangi, neque aspici, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc quod videtur. Qui si delicatus magis ac tener in hac vita fuerit, quam ratio ejus exposcit, si virtute contempta, desideriis se carnis addixerit, cadet, et premetur in terram. Sin autem (ut debet) statum suum, quem rectum recte sortitus est, prompte constanterque defenderit, si terræ, quam calcare ac vincere debet, non servierit, vitam merebitur sempiternam.

CAPUT VIGESIMUM.

De seipso, et veritate.

Hæc ad te, Demetriane, interim paucis, et obscurius fortasse quam decuit, pro rerum ac temporis necessitate

peroravi; quibus contentus esse debebis, plura, et meliora laturus, si nobis indulgentia cœlitus venerit. Tunc ergo te ad veræ philosophiæ doctrinam, et planius, et verius cohortabor. Statui enim, quam multa potero, litteris tradere, quæ ad vitæ beatæ statum spectent; et quidem contra philosophos, quoniam sunt ad perturbandam veritatem perniciosi et graves. Incredibilis enim vis eloquentiæ, et argumentandi disserendique subtilitas, quemvis facile deceperit: quos partim nostris armis, partim vero ex ipsorum inter se concertatione sumptis revincemus; ut appareat eos induxisse potius errorem, quam sustulisse.

Fortasse mireris, quod tantum facinus audeam. Patiemurne igitur extingui aut opprimi veritatem? Ego vero libentius vel sub hoc onere defecerim. Nam si Marcus Tullius, eloquentiæ ipsius unicum exemplar, ab indoctis et ineloquentibus, qui tamen pro vero nitebantur, sæpe superatus est, cur desperemus veritatem ipsam contra fallacem captiosamque facundiam sua propria vi et claritate valituram? Illi quidem sese patronos veritatis profiteri solent: sed quis potest eam rem defendere, quam non didicit, aut illustrare apud alios, quod ipse non novit? Magnum videor polliceri: sed cœlesti opus est munere, ut nobis facultas ac tempus ad proposita persequenda tribuatur. Quod si vita est optanda sapienti, profecto nullam aliam ob causam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam quod vita dignum sit, et quod utilitatem legentibus, etsi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ rivus est, ad vivendum tamen afferat: quod est maxime necessarium. Quo perfecto, satis me vixisse arbitrabor, et officium hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cœleste direxerit.

LUC. CÆCIL. FIRMIANI

LACTANTII

LIBER

DE IRA DEI [1],

AD DONATUM.

CAPUT PRIMUM.

De sapientia divina et humana.

Animadverti sæpe[2], Donate, plurimos id existimare (quod etiam nonnulli philosophorum putaverunt), non irasci Deum; quoniam vel benefica sit tantummodo natura divina, nec cuiquam nocere, præstantissimæ atque optimæ congruat potestati; vel certe nil curet, omnino, ut neque ex beneficentia ejus quidquam boni perveniat ad nos, neque maleficentia quidquam mali. Quorum error, quia maximus est, et ad evertendum vitæ humanæ statum spectat, coarguendus est a nobis, ne et ipse fallaris, impulsus autoritate hominum, qui se putant esse sapientes. Nec tamen nos tam arrogantes sumus, ut comprehensam nostro ingenio veritatem gloriemur: sed doctrinam Dei sequimur, qui scire solus potest, et revelare secreta. Cujus doctrinæ phi-

[1] Ex eod. edit. Paris. (ann. 1748) tom. II, pag. 127 et seq. — [2] Vide D. Guillon, tom. III, pag. 465 et seq.

losophi expertes existimaverunt, naturam rerum conjectura posse deprehendi. Quod nequaquam fieri potest, quia mens hominis, tenebroso corporis domicilio circumsepta, longe a veri perspectione summota est; et hoc differt ab humanitate divinitas, quod humanitatis est ignoratio, divinitatis scientia.

Unde nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras, quibus offusa est hominis cogitatio; quoniam in carne mortali agentes, nostris sensibus divinare non possumus. Lumen autem mentis humanæ Deus est, quem qui cognoverit, et in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet : remoto autem Deo cœlestique doctrina, omnia erroribus plena sunt. Recteque Socrates, cum esset omnium philosophorum doctissimus, tamen ut cæterorum argueret inscitiam, qui se aliquid tenere arbitrabantur, ait se nihil scire, nisi unum, quod nihil sciret. Intellexit enim, doctrinam illam nihil habere in se certi, nihil veri; nec, ut putant quidam, simulavit ipse doctrinam, ut alios refelleret; sed vidit ex parte aliqua veritatem. Testatusque est etiam in judicio (sicut traditur a Platone) quod nulla esset humana sapientia : adeo doctrinam, qua tum philosophi gloriabantur, contempsit, derisit, abjecit, ut id ipsum pro summa doctrina profiteretur, quod nihil scire didicisset. Si ergo nulla est sapientia humana, ut Socrates docuit, ut Plato tradidit, apparet esse divinam, nec ulli alii, quam Deo veritatis notitiam subjacere. Deus igitur noscendus est, in quo solo veritas est. Ille mundi parens, et conditor rerum qui oculis non videtur, mente vix cernitur. Cujus religio multis modis impugnari solet ab iis, qui neque veram sapientiam tenere potuerunt, neque magni et cœlestis arcani comprehendere rationem.

CAPUT SECUNDUM.

De Veritate, deque ejus gradibus, atque de Deo.

Nam cum sint gradus multi, per quos ad domicilium veritatis ascenditur, non est facile cuilibet evehi ad summum. Caligantibus enim veritatis fulgore luminibus, qui stabilem gressum tenere non possunt, revolvuntur in planum. Primus autem gradus est, intelligere falsas religiones, et abjicere impios cultus deorum humana manu fabricatorum. Secundus vero, perspicere animo, quod unus scit Deus summus, cujus potestas ac providentia effecerit a principio mundum et gubernet in posterum. Tertius, cognoscere ministrum ejus ac nuntium, quem legavit in terram; quo docente, liberati ab errore, quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, justitiam disceremus. Ex quibus omnibus gradibus, ut dixi, pronus est lapsus et facilis ad ruinam, nisi pedes inconcussa stabilitate figantur.

De primo gradu eos excuti videmus, qui, cum falsa intelligant, tamen verum non inveniunt, contemptisque terrenis fragilibusque simulacris, non ad colendum se Deum conferunt, quem ignorant; sed mundi elementa mirantes, cœlum, terram, mare, solem, lunam, cæteraque astra venerantur. Sed horum imperitiam jam coarguimus in secundo divinarum Institutionum libro. De secundo vero gradu eos dicimus cadere, qui cum sentiant, unum esse summum Deum, iidem tamen a philosophis irretiti, et falsis argumentationibus capti, aliter de unica illa majestate sentiunt, quam veritas habet; qui aut figuram negant habere ullam Deum, aut nullo affectu commoveri putant,

quia sit omnis affectus imbecillitatis, quæ in Deo nulla est. De tertio vero ii præcipitantur, qui cum sciant legatum Dei, eumdemque divini et immortalis templi conditorem, tamen aut non accipiunt eum, aut aliter accipiunt, quam fides poscit : quos ex parte jam refutavimus in quarto supradicti operis libro, et refutabimus postea diligentius, cum respondere ad omnes sectas cœperimus, quæ veritatem, dum disputant, perdiderunt.

Nunc vero contra eos disseremus, qui de secundo gradu lapsi, prava de summo Deo sentiunt. Aiunt enim quidam, nec gratificari eum cuiquam, nec irasci; sed securum, et quietum, immortalitatis suæ bonis perfrui. Alii vero iram tollunt, gratiam relinquunt Deo; naturam enim summa virtute præstantem, ut non maleficam, sic beneficam esse debere. Ita omnes philosophi de ira consentiunt; de gratia discrepant. Sed facienda nobis, et sequenda partitio est, cum diversa et repugnantia sint ira et gratia. Aut ira tribuenda est Deo, et gratia detrahenda; aut utrumque pariter detrahendum. Aut ut ad propositam materiam per ordinem descendat oratio, hujusmodi ira demenda est, et gratia tribuenda; aut utrumque tribuendum. Aliud amplius, præter hæc, nihil potest capere natura, ut necesse sit in uno istorum aliquo verum, quod quæritur, inveniri. Consideremus singula, ut nos ad latebras veritatis, et ratio et ordo deducat.

CAPUT TERTIUM.

De bonis et malis in rebus humanis, eorumque autore.

Primum illud nemo de Deo dixit unquam, irasci eum tantummodo, et gratia non moveri. Est enim disconveniens

Deo, ut ejusmodi potestate sit præditus, qua noceat, et obsit, prodesse vero, ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio, quæ spes salutis hominibus proposita est, si malorum tantummodo auctor est Deus (16)? Quod si sit, jam majestas illa venerabilis, non ad judicis potestatem, cui licet servare ac liberare, sed ad tortoris et carnificis officium deducetur. Cum autem videamus, non modo mala esse in rebus humanis, sed etiam bona, utique si Deus est auctor malorum, esse alterum necesse est, qui contraria Deo faciat, et det nobis bona. Si est, quo nomine appellandus est? aut cur nobis, qui male faciat, notior est, quam ille, qui bene? Si autem nihil potest esse præter Deum, absurdum est et vanum, divinam putare potestatem, qua nihil est majus, nihil melius, nocere posse, prodesse non posse. Et ideo nemo extitit, qui auderet id dicere; quia nec rationem habet, nec ullo modo potest credi. Quod quia convenit, transeamus et veritatem alibi requiramus.

CAPUT QUARTUM.

De Deo, deque ejus affectibus, Epicurique reprehensione.

Quod sequitur de schola Epicuri est; sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam quidem. Nam cum putaret Epicurus, alienum esse a Deo malefacere atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumque nascitur, ademit ei etiam beneficentiam, quoniam videbat consequens esse, ut si habeat iram Deus, habeat et gratiam. Itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem. Ex hoc (inquit) beatus et incorruptus est, quia nihil curat, neque habet ipse negotium, neque alteri exhibet. Deus igitur non est, si nec movetur, quod

est proprium viventis : nec facit aliquid impossibile homini, quod est proprium Dei. Si omnino nullam habet voluntatem, nullum actum, nullam denique administrationem, quæ Deo digna sit. Et quæ major, quæ dignior administratio Deo assignari potest, quam mundi gubernatio, maxime que generis humani, cui omnia terrena subjecta sunt ?

Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, et immobilis torpet? si precantibus surdus, si colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia? Sed si nihil curat, nihil providet, amisit omnem divinitatem. Qui ergo totam vim, totam Deo substantiam tollit, quid aliud dicit, nisi Deum omnino non esse? Denique Marcus Tullius a Posidonio dictum refert, id Epicurum sensisse, nullos deos esse, sed ea, quæ de diis locutus sit, depellendæ invidiæ causa dixisse : itaque verbis illum deos relinquere, re autem ipsa tollere, quibus nullum motum, nullum tribuit officium. Quod si ita est, quid eo fallacius? quod a sapiente et gravi viro debet esse alienum. Hic vero si aliud sensit, et aliud locutus est, quid aliud appellandus est, quam deceptor, bilinguis, malus, et propterea stultus? Sed non erat tam versutus Epicurus, ut fallendi studio ista loqueretur, cum hæc etiam scriptis ad æternam memoriam consignaret : sed ignorantia veritatis erravit. Inductus enim a principio verisimilitudine unius sententiæ, necessario in ea, quæ sequebantur, incurrit. Prima enim sententia fuit, iram in Deum non convenire. Quod cum illi verum et inexpugnabile videretur, non poterat consequentia recusare, quia uno affectu amputato etiam cæteros affectus adimere Deo necessitas ipsa cogebat. Ita qui non irascitur, utique nec gratia movetur, quod est iræ contrarium : jam si nec ira in eo, nec gratia est, utique nec metus, nec lætitia, nec mœror, nec misericordia. Una

est enim ratio cunctis affectibus, una commotio, quæ in Deum cadere non potest. Quod si nullus affectus in Deo est, quia quidquid afficitur imbecillum est, ergo nec cura ullius rei, nec providentia est in eo.

Hucusque pervenit sapientis hominis disputatio; cætera, quæ sequuntur; obticuit: scilicet, quia nec cura sit in eo, nec providentia; ergo nec cogitationem aliquam, nec sensum in eo esse ullum: quo efficitur, ut non sit omnino. Ita cum gradatim descendisset, in extremo gradu restitit, quia jam præcipitium videbat. Sed quid prodest reticuisse, ac periculum dissimulasse? Necessitas illum vel invitum cadere coegit. Dixit enim quod noluit, quia argumentum sic ordinavit, ut ad illud, quod evitabat, necessario deveniret. Vides igitur quo perveniat, ira sublata, et Deo adempta. Denique aut ullus id credit, ut admodum pauci. et quidem scelerati, ac mali, qui sperant peccatis suis impunitatem. Quod si et hoc falsum invenitur, nec iram in Deo esse, nec gratiam, veniamus ad illud, quod tertio loco positum est.

CAPUT QUINTUM.

De Deo Stoicorum sententia; de Ira et gratia ejus.

Existimantur Stoici, et alii nonnulli, aliquanto melius de divinitate sensisse, qui aiunt, gratiam in Deo esse, iram non esse. Favorabilis admodum ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillitatem, ut ab ullo se læsum putet, qui lædi non potest; ut quieta illa, et sancta majestas concitetur, perturbetur, insaniat, quod est terrenæ fragilitatis. Iram enim, commotionem mentis esse ac

perturbationem, quæ sit a Deo aliena. Quod si hominem quoque, qui modo sit sapiens et gravis, ira non deceat (si quidem, cum in animum cujusquam incidit, velut sæva tempestas tantos excitet fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent): quanto magis Deum non deceat tam fœda mutatio? Et si homo, qui habet imperium ac potestatem, late noceat per iram, sanguinem fundat, urbes subvertat, populos deleat, provincias ad solitudinem redigat: quanto magis Deum, qui habeat totius generis humani, et ipsius mundi potestatem, perditurum fuisse universa credibile sit, si irasceretur?

Abesse igitur ab eo tam magnum, tam perniciosum malum oportere. Et si absit ab eo ira, et concitatio, quia et deformis, et noxia est, nec cuiquam malefaciat, nihil aliud superesse, nisi ut sit lenis, tranquillus, propitius, beneficus, conservator. Ita enim demum et communis omnium pater, et optimus maximus dici poterit, quod expetit divina cœlestisque natura. Nam si inter homines laudabile videtur, prodesse potius, quam nocere; vivificare, quam occidere; salvare, quam perdere (nec immerito innocentia inter virtutes numeratur); et qui hæc fecerit, diligitur, præfertur, ornatur, benedictis omnibus votisque celebratur, denique ob merita et beneficia Deo simillimus judicatur; quanto magis ipsum Deum par est, divinis perfectisque virtutibus præcellentem, atque ab omni terrena labe summotum, divinis et cœlestibus beneficiis omne genus hominum promereri? Speciose ista, populariterque dicuntur, et multos illiciunt ad credendum: sed qui hæc sentiunt, ad veritatem quidem propius accedunt; sed in parte labuntur, naturam rei parum considerantes. Nam si Deus non irascitur impiis et injustis, nec pios utique justosque diligit. Ergo constantior est error illorum, qui et iram simul, et gratiam tol-

lunt. In rebus enim diversis, aut in utramque partem moveri necesse est, aut in neutram. Ita qui bonos diligit, et malos odit, et qui malos non odit nec bonos diligit: quia et diligere bonos, ex odio malorum venit; et malos odisse, ex bonorum caritate descendit. Nemo est qui amet vitam sine odio mortis, nec appetat lucem, nisi qui tenebras fugit. Adeo natura ista connexa sunt, ut alterum sine altero fieri nequeat.

Si quis dominus habens in familia servos, bonum ac malum, non utique aut ambos odit, aut ambos beneficiis et honore prosequitur; quod si faciet, et iniquus et stultus est: sed bonum et alloquitur amice, et ornat, et domi ac familiæ suisque omnibus rebus præficit; malum vero maledictis, verberibus, nuditate, fame, siti, compedibus punit, ut et hic exemplo cæteris sit ad non peccandum, et ille ad promerendum, ut alios metus coerceat, alios honor provocet. Qui ergo diligit, et odit, qui odit, et diligit; sunt enim qui diligi debeant, sunt qui odio haberi. Et sicut is, qui diligit, confert bona in eos, quos diligit: ita qui odit, irrogat mala iis, quos odio habet; quod argumentum, quia verum est, dissolvi nullo pacto potest. Vana ergo et falsa est sententia eorum, qui cum alterum Deo tribuant, alterum detrahunt, non minus, quam illorum qui utrumque detrahunt. Sed illi, ut ostendimus, ex parte non errant, sed id quod melius est ex duobus retinent. Ii vero, quos ratio, et veritas argumenti hujus inducit, falsa omnino sententia suscepta, in maximum errorem cadunt. Non enim sic oportebat eos argumentari: Quia Deus non irascitur, ergo nec gratia commovetur; sed ita: Quia Deus gratia movetur, ergo et irascitur. Si enim certum et indubitandum fuisset, non irasci Deum, tunc ad illud alterum veniri esset necesse. Cum autem magis sit ambiguum de ira, pene manifestum de gratia, absurdum est ex incerto certum velle subvertere, cum sit promptius de certis incerta firmare.

CAPUT SEXTUM.

Quod Deus irascatur.

Hæ sunt de Deo philosophorum sententiæ. Aliud præterea nihil quisquam dixit. Quod si hæc, quæ dicta sunt, falsa esse deprehendimus, unum illud extremum superest, in quo solo possit veritas inveniri, quod a philosophis nec susceptum est unquam, nec aliquando defensum : consequens esse, ut irascatur Deus, quoniam gratia commovetur. Hæc tuenda nobis et asserenda sententia est. In eo enim summa omnis, et cardo religionis pietatisque versatur. Nam neque honos ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti, nec ullus metus, si non irascitur non colenti.

CAPUT SEPTIMUM.

De Homine et Brutis, ac Religione.

Cum sæpe philosophi per ignorantiam veritatis a ratione desciverint, atque in errores inciderint inextricabiles (id enim solet his evenire, quod viatori viam nescienti et non fatenti se ignorare, ut vagetur, dum percontari obvios erubescit), illud tamen nullus philosophus asseruit unquam, nihil inter hominem et pecudem interesse ; nec omnino

quisquam, modo qui sapiens videri vellet, rationale animal, cum mutis et irrationabilibus coæquavit: quod faciunt quidam imperiti, atque ipsis pecudibus similes, qui cum ventri ac voluptati se velint tradere, aiunt, eadem ratione se natos, qua universa quæ spirant; quod dici ab homine nefas est. Quis enim tam indoctus est, ut nesciat, quis tam imprudens, ut non sentiat, aliquid inesse in homine divini? Nondum venio ad virtutes animi et ingenii, quibus homini cum Deo manifesta cognatio est. Nonne ipsius corporis status et oris figura declarat, non esse nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum pabulumque prostrata est; nec habet quidquam commune cum cœlo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum; et rationem ratio cognoscit.

Propterea nullum est animal (ut ait Cicero), præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim sapientia instructus est, ut religionem solus intelligat; et hæc est hominis atque mutorum, vel præcipua, vel sola distantia. Nam cætera, quæ videntur hominis esse propria, etsi non sint talia in mutis, tamen similia videri possunt. Proprius homini sermo est: tamen et in illis quædam similitudo sermonis. Nam et dignoscunt invicem se vocibus; et, cum irascuntur, edunt sonum jurgio similem; et cum se ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, sicut illis fortasse nostræ: sed ipsis, quæ se intelligunt, verba sunt; denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant. Risus quoque est homini proprius; et tamen videmus in aliis animalibus quædam signa lætitiæ, cum ad lusum gestiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in lasciviam resolvunt. Quid tam proprium homini, quam ratio, et pro-

videntia futuri? Atqui sunt animalia, quæ latibulis suis diversos et plures exitus pandant, ut si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis; quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia et cogitatio. Alia provident in futurum; ut

. . . . . Ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, hyemis memores, tectoque reponunt [1];

ut apes, quæ

. . . Patriam solæ, et certos novere penates,
Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, et in medium quæsita reponunt [2].

Longum est, si exsequi velim, quæ a singulis generibus animalium fieri soleant humanæ solertiæ simillima. Quod si horum omnium, quæ ascribi homini solent, in mutis quoque deprehenditur similitudo, apparet solam esse religionem, cujus in mutis nec vestigium aliquod, nec ulla suspicio inveniri potest. Religionis enim est propria justitia, quam nullum aliud animal attingit. Homo enim solus imperat; cætera sibi conciliata sunt. Justitiæ autem Dei cultus ascribitur; quem qui non suscipit, hic a natura hominis alienus, vitam pecudum sub humana specie vivet. Cum vero a cæteris animalibus hoc pene solo differamus, quod soli omnium divinam vim potestatemque sentimus, in illis autem nullus sit intellectus Dei: certe illud fieri non potest, ut in hoc vel muta plus sapiant, vel humana natura desipiat; cum homini ob sapientiam et cuncta quæ spirant, et omnis rerum natura subjecta sit. Quare si ratio, si vis hominis hoc præcellit et superat cæteras animantes, quod solus notitiam Dei capit, apparet religionem nullo modo posse dissolvi.

[1] Virgil., Æneid. IV, 403. — [2] Id., Georg. IV.

CAPUT OCTAVUM.

De Religione.

Dissolvitur autem religio, si credamus Epicuro illa dicenti :

> Omnis enim per se divum natura necesse est,
> Immortali ævo summa cum pace fruatur,
> Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.
> Nam privata dolore omni, privata periclis,
> Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri,
> Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira [1].

Quæ cum dicit, utrum aliquem cultum Deo putat esse tribuendum, an evertit omnem religionem? Si enim Deus nihil cuiquam boni tribuit, si colentis obsequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam stultum, quam templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur? Atenim naturam excellentem honorari oportet. Quis honos deberi potest nihil curanti et ingrato? An aliqua ratione obstricti esse possumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? « Deus » (inquit Cicero) « si talis est, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. Quid enim dicam, propitius sit? » esse enim propitius potest nemini. » Quid contemptius dici potuit in Deum? Valeat, inquit; id est, abeat et recedat, quando prodesse nulli potest. Quod si negotium Deus nec habet, nec exhibet, cur non ergo delinquamus, quoties hominum conscientiam fallere licebit, ac leges publicas cir-

[1] Lucret., de Nat. rer., initio l. II.

cumscribere ? Ubicumque nobis latendi occasio arriserit, consulamus rei, auferamus aliena, vel sine cruore, vel etiam cum sanguine, si præter leges nihil est amplius, quod colendum sit.

Hæc dum sentit Epicurus, religionem funditus delet; qua sublata, confusio ac perturbatio vitæ sequetur. Quod si religio tolli non potest, ut et sapientiam, qua distamus a belluis, et justitiam retineamus, qua communis vita sit tutior; quomodo religio ipsa sine metu teneri aut custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur : quod contemnitur, utique non colitur. Ita fit, ut religio, et majestas, et honor metu constet : metus autem non est, ubi nullus irascitur. Sive igitur gratiam Deo, sive iram, sive utrumque detraxeris, religionem tolli necesse est, sine qua vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multum enim refrænat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere; si non tantum quæ gerimus, videri desuper, sed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri a Deo putemus. Atenim prodest id credere, ut quidam putant, non veritatis gratia, sed utilitatis, quoniam leges conscientiam punire non possunt, nisi aliquis desuper terror impendeat ad cohibenda peccata. Falsa est igitur omnis religio, et divinitas nulla est. Sed a viris prudentibus universa conficta sunt, quo rectius innocentiusque vivatur. Magna hæc, et a materia quam proposuimus aliena quæstio est : sed quia necessario incidit, debet quamvis breviter attingi.

CAPUT NONUM.

De Providentia Dei, deque sententiis illi repugnantibus.

Cum sententiæ philosophorum prioris temporis de providentia consensissent, nec ulla esset dubitatio, quin mundus a Deo et ratione esset instructus, et ratione regeretur: primus omnium Protagoras extitit temporibus Socratis, qui sibi diceret non liquere, utrum esset aliqua divinitas, necne. Quæ disputatio ejus adeo impia, et contra veritatem et religionem judicata est, ut et ipsum Athenienses expulerint suis finibus, et libros ejus in concione, quibus hæc continebantur, exusserint. De cujus sententia non est opus disputare, quia nihil certi pronuntiavit. Post hæc Socrates, et auditor ejus Plato, et qui de schola Platonis, tanquam rivuli diversas in partes profluxerunt; Stoïci et Peripatetici, in eadem fuere sententia, qua priores.

Postea vero Epicurus Deum quidem esse dixit, quia necesse sit esse aliquid in mundo præstans, et eximium, et beatum; providentiam tamen nullam: itaque mundum ipsum nec ratione ulla, nec arte, nec fabrica instructum, sed naturam rerum quibusdam minutis seminibus et insecabilibus conglobatam. Quo quid repugnantius dici possit, non video. Etenim si est Deus, utique providens est, ut Deus, nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et præterita teneat, et præsentia sciat, et futura prospiciat. Cum igitur providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum esse professus est, et providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. Verum iis postea temporibus, quibus jam philoso-

phia defloruerat, extitit Melius quidam Diagoras, qui nullum esse omnino Deum diceret, ob eamque sententiam nominatus est ἄθεος; item Cyrenæus Theodorus : ambo quia nihil novi poterant reperire, omnibus jam dictis et inventis, maluerunt vel contra veritatem id negare, in quo priores universi sine ambiguitate consenserant. Ii sunt, qui tot sæculis, tot ingeniis assertam atque defensam providentiam calumniati sunt. Quid ergo? utrumne istos minutos et inertes philosophos ratione, an vero autoritate præstantium virorum refellemus? an potius utroque? Sed properandum est, ne longius a materia divagetur oratio.

CAPUT DECIMUM.

De mundi ortu et rerum natura, et Dei providentia.

Qui nolunt divina providentia factum esse mundum, aut principiis inter se temere coëuntibus dicunt esse concretum, aut repente natura extitisse; naturam vero (ut Straton) habere in se vim gignendi et minuendi : sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram, ut intelligamus, omnia quasi sua sponte esse generata, nullo artifice, nec auctore. Utrumque vanum et impossibile. Sed hoc evenit ignorantibus veritatem, ut quidvis potius excogitent, quam id sentiant quod ratio deposcit. Primum minuta illa semina, quorum concursu fortuito totum coiisse mundum loquuntur, ubi aut unde sint, quæro. Quis illa vidit unquam? quis sensit? quis audivit? An solus Leucippus oculos habuit? solus mentem? qui profecto solus omnium cæcus et excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens posset somniare.

Quatuor elementis constare omnia philosophi veteres disserebant : ille noluit, ne alienis vestigiis videretur insistere. Sed ipsorum elementorum alia voluit esse primordia, quæ nec videri possint, nec tangi, nec ulla corporis parte sentiri. Tam minuta sunt, inquit, ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua secari ac dividi possint; unde illis nomen imposuit atomorum. Sed occurrebat ei, quod si una esset omnibus eademque natura, non possent res efficere diversas, tanta varietate, quantam videmus inesse mundo. Dixit ergo, lævia esse, et aspera, et rotunda, et angulata, et hamata. Quanto melius fuerat tacere, quam in usus tam miserabiles, tam inanes, habere linguam : et quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda. Respondeamus tamen velut aliquid dicenti. Si lenia sunt et rotunda, utique non possunt invicem se apprehendere, ut aliquod corpus efficiant; ut si quis milium velit in unam coagmentationem constringere, lenitudo ipsa granorum in massam coïre non sinat. Si aspera et angulata sunt, et hamata, ut possint cohærere; dividua ergo et secabilia sunt : hamos enim necesse est et angulos eminere, ut possint amputari.

Itaque quod amputari ac divelli potest, et videri poterit et teneri. « Hæc, inquit, per inane irrequietis motibus vo» litant, et huc, atque illuc feruntur, sicut pulveris minu» tias videmus in sole, cum per fenestram radios ac lumen » immiserit. Ex his arbores, et herbæ, et fruges omnes oriun» tur : ex his animalia et aqua, ignis et universa gignuntur, » et rursus in eadem resolvuntur. » Ferri hoc potest, quamdiu de rebus parvis agitur. Ex his etiam mundus ipse concretus est. Implevit numerum perfectæ insaniæ; nihil videtur ulterius dici posse : sed invenit tamen ille quod adderet. « Quoniam est omne, inquit, infinitum, nec potest quid» quam vacare; necesse est ergo innumerabiles esse mun» dos. » Quæ tanta vis fuerat atomorum, ut moles tam inæs-

timabiles ex tam minutis conglobarentur? Ac primum requiro, quæ sit istorum seminum, vel ratio, vel origo. Si enim ex illis sunt omnia, ipsa igitur unde esse dicemus? quæ natura tantam copiam ad efficiendos innumerabiles mundos subministravit? Sed concedamus, ut impune de mundis deliraverit: de hoc loquamur, in quo sumus, et quem videmus. Ait, omnia ex individuis corpusculis fieri.

Si hoc ita esset, nulla res unquam sui generis semine indigeret. Sine ovis alites nascerentur, ac ova sine partu, item cætera viventia sine coïtu : arbores, et quæ gignuntur e terra, propria semina non haberent, quæ nos quotidie tractamus, et serimus. Cur ex frumento seges nascitur, et rursus ex segete frumentum? Denique si atomorum coïtio et conglobatio efficeret omnia, in aëre universa concrescerent; si quidem per inane atomi volitant : cur sine terra, sine radicibus, sine humore, sine semine, non herba, non arbor, non fruges oriri augerique possunt? Unde apparet, nihil ex atomis fieri ; quandoquidem unaquæque res habet propriam certamque naturam, suum semen, suam legem ab exordio datam. Denique Lucretius quasi oblitus atomorum, quas asserebat, ut redargueret eos, qui dicunt ex nihilo fieri omnia, his argumentis usus est, quæ contra ipsum valerent. Sic enim dixit :

> Nam si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
> Omne genus nasci potest; nil semine egeret.

Item postea,

> Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est;
> Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
> Aëris in teneras possint proferrier auras.

Quis hunc putet habuisse cerebrum, cum hæc diceret, nec videret sibi esse contraria? Nihil enim per atomos fieri exinde apparet, quod semen cujusque rei certum est; nisi

forte et ignis, et aquæ naturam ex atomis esse credemus. Quid, quod durissimi rigoris materiæ, si ictu vehementiore colliduntur, ignis excutitur? Num in ferro aut silice atomi latent? Quis inclusit? aut cur sua sponte non emicant; aut quomodo semina ignis in materia frigidissima permanere potuerunt?

Omitto silicem ac ferrum. Orbem vitreum plenum aquæ si tenueris in sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur etiam in durissimo frigore. Num etiam in aqua ignem esse credendum est? atqui de sole ignis ne æstate quidem accendi potest. Si ceræ inhalaveris, vel si vapor levis aliquid attigerit, aut crustam marmoris, aut laminam, paulatim per minutissimos rores aqua concrescit. Item de halitu terræ aut maris nebula existit: quæ aut dispersa humefacit quidquid texerit; aut collecta, in arduos montes in sublime vento rapta, stipatur in nubem, atque imbres maximos dejicit. Ubi ergo dicimus liquores natos esse? num in vapore? num in halitu? num in vento? Atqui nihil potest consistere in eo, quod nec tangitur, nec videtur. Quid ego de animalibus loquar, in quorum corporibus nihil sine ratione, sine ordine, sine utilitate, sine specie figuratum videmus; adeo ut solertissima, et diligentissima omnium partium membrorumque descriptio, casum ac fortunam repellat. Sed putemus artus et ossa et nervos et sanguinem de atomis posse concrescere. Quid sensus, cogitatio, memoria, mens, ingenium, quibus seminibus coagmentari possunt? minutissimis, inquit. Sunt ergo alia majora. Quomodo igitur insecabilia?

Deinde, si ex invisibilibus sunt, quæ non videntur, consequens est, ut ex visibilibus sint, quæ videntur; cur igitur nemo videt? sed sive invisibilia quæ sunt in homine consideret, sive tractabilia, quæ veniunt sub aspectum, ratione utraque constare quis non videt? Quomodo ergo sine ra-

tione coëuntia possunt aliquid efficere rationale? Videmus enim nihil esse in omni mundo, quod non habeat in se maximam mirabilemque rationem. Quæ, quia supra hominis sensum et ingenium est, cui rectius, quam divinæ providentiæ tribuenda est? An simulacrum hominis et statuam ratio et ars fingit; ipsum hominem de frustis temere concurrentibus fieri putabimus? Et quid simile veritatis in ficto, cum summum et excellens artificium nihil aliud, nisi umbram et extrema corporis lineamenta possit imitari? Num potuit humana solertia dare operi suo aut motum aliquem; aut sensum? Omitto usum videndi, audiendi, odorandi, cæterorumque membrorum, vel apparentium, vel latentium, mirabiles utilitates. Quis artifex potuit, aut cor hominis, aut vocem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisquamne igitur sanus existimat, quod homo ratione et consilio facere non possit, id concursu atomorum passim cohærentium perfici potuisse? Vides in quæ deliramenta inciderint, dum nolunt effectionem curamque rerum Deo dare.

Concedamus tamen his, ut ex atomis fiant quæ terrena sunt: num etiam cœlestia? Deos aiunt incorruptos, æternos, beatos esse; solisque dant immunitatem, ne concursu atomorum concreti esse videantur. Si enim dii quoque ex illis constitissent, dissipabiles fierent, seminibus aliquando resolutis, atque in naturam suam revertentibus. Ergo si est aliquid, quod atomi non effecerint, cur non cætera eodem modo intelligamus? Sed quæro, antequam mundum primordia ista generarent, cur sibi dii habitaculum non ædificaverint? Videlicet, nisi atomi coiissent, cœlumque fecissent, adhuc dii per medium inane penderent. Quo igitur consilio, qua ratione de confuso acervo se atomi congregaverunt, ut ex aliis inferius terra conglobaretur, cœlum desuper tenderetur, tanta siderum varietate distinctum, ut nihil unquam excogitari possit ornatius? Tanta ergo qui

videat et talia, potest existimare nullo effecta esse consilio, nulla providentia, nulla ratione divina; sed ex atomis subtilibus, exiguis, concreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est aut natum esse hominem, qui hæc diceret, aut extitisse, qui crederet? ut Democritum, qui auditor ejus fuit, vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit. At enim (sicut alii dicunt) natura mundus effectus est, quæ sensu et figura caret. Hoc vero multo est absurdius. Si natura mundum fecit, consilio et ratione fecerit, necesse est; is enim facit aliquid, qui aut voluntatem faciendi habet, aut scientiam. Si caret sensu ac figura, quomodo potest ab ea fieri, quod et sensum habeat et figuram? nisi forte quis arbitretur, animalium fabricam tam subtilem a non sentiente formari animarique potuisse; aut istam cœli speciem, tam providenter ad utilitates viventium temperatam, nescio quo casu, sine conditore, sine artifice, subito extitisse.

« Si quid est, inquit Chrysippus, quod efficiat ea, quæ »homo, licet ratione sit præditus, facere non possit, id »profecto est majus, et fortius, et sapientius homine. » Homo autem non potest facere cœlestia; ergo illud, quod hæc efficiet, vel effecerit, superat hominem arte, consilio, prudentia, potestate. Quis igitur potest esse, nisi Deus? Natura vero, quam veluti matrem esse rerum putant, si mentem non habet, nihil efficiet unquam, nihil molietur. Ubi enim non est cogitatio, nec motus est ullus, nec efficacia. Si autem consilio utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum et continendum; cur natura potius, quam Deus nominetur? Aut si concursus atomorum, vel carens mente natura, ea, quæ videmus, effecit, quæro cur facere cœlum potuerit, urbem aut domum non potuerit? cur montes marmoris fecerit, colum-

nas et simulacra non fecerit, columnas et simulacra non fecerit? Atqui non debuerant atomi etiam ad hæc efficienda concurrere; siquidem nullam positionem relinquunt, quam non experiantur. Nam de natura, quæ mentem non habeat, non est mirandum, quod hæc facere oblita sit. Quid ergo est? Utique Deus, cum inchoaret hoc opus mundi, quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec majus ad molem, quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipse; in quibus etiam hominem ipsum, cui particulam de sua sapientia dedit; et instruxit eum ratione, quantum fragilitas terrena capiebat, ut ipse sibi efficeret, quæ ad usus suos essent necessaria.

Si vero in hujus mundi (ut ita dixerim) republica nulla providentia est, quæ regat, nullus Deus, qui administret, nec omnino sensus ullus in hac rerum natura pollet; unde igitur mens humana tam solers, tam intelligens orta esse credetur? Si enim corpus hominis ex humo fictum est, unde homo nomen accepit; animus ergo qui sapit, qui rector est corporis, cui membra obsequuntur tanquam regi et imperatori, qui nec aspici, nec comprehendi potest, non potuit ad hominem nisi a sapiente natura pervenire. Sed sicut omne corpus mens et animus gubernat : ita et mundum Deus. Nec enim verisimile est, ut minora et humilia regimen habeant, majora et summa non habeant. Denique M. Cicero in Tusculanis, et in Consolatione, « Animorum, » *inquit*, nulla in terris origo inveniri potest. Nihil est enim, » *inquit*, in animis mistum atque concretum, aut quod ex » terra natum atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut stabile, aut igneum. His enim naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis » habeat, quod et præterita teneat, et futura prævideat, et » complecti possit præsentia, quæ sola divina sunt. Nec

» enim inveniuntur unquam, unde ad hominem venire pos-» sint, nisi a Deo. » Exceptis igitur duobus tribusve calumniatoribus vanis, cum constet, divina providentia mundum regi, sicut et factus est, nec sit quisquam, qui Diagoræ Theodorique sententiam, vel Leucippi inane commentum, vel Democriti Epicurique levitatem præferre audeat auctoritati, vel illorum septem priorum, qui sunt appellati sapientes, vel Pythagoræ, vel Socratis, vel Platonis, cæterorumque philosophorum, qui esse providentiam judicaverunt; falsa igitur est et illa sententia, qua putant terroris ac metus gratia Religionem a sapientibus institutam, quo se homines imperiti a peccatis abstinerent.

Quod si verum sit, ergo derisi ab antiquis sapientibus sumus. Quod si fallendi nostri, atque adeo totius generis humani causa commenti sunt religionem; sapientes igitur non fuerunt, quia in sapientem non cadit mendacium. Sed fuerint sapientes; quæ tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, sed Platonem quoque, ac Socratem fallerent, et Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, maximarum sectarum principes, tam facile deluderent? Est igitur divina providentia, ut senserunt ii homines, quos nominavi; cujus vi ac potestate omnia, quæ videmus et facta sunt, et reguntur. Nec enim tanta rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in servandis ordinibus temporibusque constantia, aut olim potuit sine provido artifice oriri, aut constare tot sæculis sine incola potenti, aut in perpetuum gubernari sine perito ac sentiente rectore : quod ratio ipsa declarat. Quidquid est enim, quod habet rationem, ratione sit ortum necesse est. Ratio autem sentientis sapientisque naturæ est : sapiens vero sentiensque natura nihil aliud potest esse, quam Deus. Mundus autem, quoniam rationem habet, qua et regitur, et constat; ergo a Deo factus est. Quod si est conditor rectorque mundi Deus, recte igitur ac vere religio con-

stituta est; auctori enim rerum, parentique communi honos veneratioque debetur.

CAPUT UNDECIMUM.

De Deo, eoque uno, cujusque providentia mundus regatur et constat.

Quoniam constitit de providentia, sequitur ut doceamus, utrumne multorum esse credenda sit, an potius unius. Satis (ut opinor) ostendimus in nostris Institutionibus, deos multos esse non posse; quod divina vis ac potestas si distribuatur in plures, diminui eam necesse sit : quod autem minuitur, utique et mortale est; si vero mortalis non est, nec minui, nec dividi potest. Deus igitur unus est, in quo vis et potestas consummata, nec minui potest, nec augeri. Si autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid ac numinis, summa ipsa decrescit; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus : unicuique tantum deerit, quantum cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores : nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges. Sed nec in cœlo quidem multi soles esse potuerunt, sicut nec animæ plures in uno corpore : adeo in unitate natura universa consentit. Quod si mundum

> Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet;

apparet testimonio poëtæ, unum esse mundi habitatorem

Deum; siquidem corpus omne nisi ab una mente incoli regique non potest. Omnem igitur divinam potestatem necesse est in uno esse, cujus nutu et imperio regantur omnia; et ideo tantus est, ut ab homine non possit, aut verbis enarari, aut sensibus æstimari.

Unde igitur ad homines opinio multorum deorum persuasione pervenit? Nimirum ii omnes, qui coluntur ut dii, homines fuerunt, et iidem primi, ac maximi reges: sed eos, aut ob virtutem, qua profuerant hominum generi, divinis honoribus affectos esse post mortem; aut ob beneficia et inventa, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam consecutos, quis ignorat? nec tantum mares, sed et fœminas. Quod cum vetustissimi Græciæ scriptores, quos illi θεολόγους nuncupant, tum etiam Romani, Græcos secuti et imitati, docent; quorum præcipue Evhemerus, ac noster Ennius, qui eorum omnium natales, conjugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, sepulcra demonstrant. Et secutus eos Tullius tertio de Natura deorum libro dissolvit publicas religiones: sed tamen veram, quam ignorabat, nec ipse, nec alius quisquam potuit inducere. Adeò et ipse testatus est, falsum quidem apparere, veritatem tamen latere. Utinam (inquit) tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere! Quod quidem non dissimulanter, ut academicus, sed vere atque ex animi sententia proclamavit: quia veritas humanis sensibus erui nunquam potest, quod assequi valuit humana providentia, id assecutus est, ut falsa detegeret. Quidquid enim fictum, et commentitium, quia nulla ratione subnixum est, facile dissolvitur. Unus est igitur princeps, et origo rerum Deus, sicut Plato in Timæo et sensit et docuit; cujus majestatem tantam esse declarat, ut nec mente comprehendi, nec lingua exprimi possit.

Idem testatur Hermes, quem Cicero ait in numero deo-

rum apud Ægyptios haberi, eum scilicet, qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus nominatus, et erat non modo Platone, verum etiam Pythagora septemque illis sapientibus longe antiquior. Apud Xenophontem Socrates disputans ait, « formam Dei non oportere conquiri; » et Plato in Legum libris : « Quid omnino sit Deus, non esse » quærendum, quia nec inveniri possit, nec enarrari. » Pythagoras quoque unum Deum confitetur dicens, incorporalem esse mentem, quæ per omnem rerum naturam diffusa et intenta, vitalem sensum cunctis animantibus tribuat. Antisthenes autem in Physico unum esse naturalem Deum dixit, quamvis gentes et urbes suos habeant populares. Eadem fere et Aristoteles cum suis Peripateticis, et Zeno cum suis Stoïcis. Longum est enim singulorum sententias exequi, qui licet diversis nominibus sint abusi, ad unam tamen potestatem, quæ mundum regeret, concurrerunt. Sed tamen summum Deum, cum et philosophi et poëtæ et ipsi denique, qui deos colunt, sæpe fateantur; de cultu tamen et honoribus ejus nemo unquam requisivit, nemo disseruit; ea scilicet persuasione, qua semper beneficum incorruptumque credentes, nec irasci cum cuiquam, nec ullo cultu indigere arbitrantur. Adeo religio esse non potest, ubi metus nullus est.

CAPUT DUODECIMUM.

De religione, et Dei timore.

Nunc quoniam respondimus impiæ quorumdam detestabilique prudentiæ, vel potius amentiæ, redeamus ad propositum. Diximus, religione sublata, nec sapientiam teneri

posse, nec justitiam, quia sapientia divinitatis intellectus est, quo differimus a belluis : in homine solo reperiri justitiam, qua nisi cupiditates nostras Deus, qui falli non potest, coërcuerit, scelerate impieque vivemus. Spectari ergo actus nostros a Deo, non modo ad utilitatem communis vitæ attinet, sed etiam ad veritatem ; quia religione justitiaque detracta, vel ad stultitiam pecudum amissa ratione devolvimur, vel ad bestiarum immanitatem : imo vero amplius; siquidem bestiæ sui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid immitius, si dempto metu superiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere ? Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor auferetur, si fuerit homini persuasum, quod iræ sit expers Deus; quem moveri et indignari, cum injusta fiunt, non modo communis utilitas, sed etiam ratio ipsa nobis et veritas persuadet. Rursus nobis ad superiora redeundum est, ut quia docuimus a Deo factum esse mundum, doceamus quare sit effectus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De mundi et temporum commodo et usu.

Si consideret aliquis universam mundi administrationem, intelliget profecto, quam vera sit sententia Stoïcorum, qui aiunt nostra causa mundum esse constructum. Omnia enim, quibus constat, quæque generat ex se mundus, ad utilitatem hominis accommadata sunt. Homo utitur igni ad usum calefaciendi et luminis et molliendorum ciborum,

ferrique fabricandi : utitur fontibus ad potum et ad lavacra; fluminibus ad agros irrigandos terminandasque regiones : utitur terra ad percipiendam frugum varietatem; collibus ad conserenda vineta; montibus ad usum arborum atque lignorum; planis ad segetem; utitur mari, non solum ad commercia et copias ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad ubertatem omnis generis piscium. Quod si his elementis utitur, quibus est proximus, non est dubium, quin et cœlo, quoniam et cœlestium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua vivimus, temperata sunt. Sol irrequietis cursibus et spatiis inæqualibus annos conficit, et aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem superducit ad requiem : et tum abscessu longius ad meridiem, tum accessu propius ad septentrionem, hyemis et æstatis vicissitudines facit, ut et hybernis humoribus ac pruinis in ubertatem terra pinguescat, et æstivis caloribus, vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ sunt in humidis, incocta et fervefacta mitescant. Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, et amissi ac recepti luminis vicibus menstrua spatia moderatur, et cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis illustrat; ut æstiva itinera, et expeditiones, et opera sine labore ac molestia confici possint. Siquidem :

> Nocte leves stipulæ melius, nocte arida prata
> Tondentur.

Astra etiam cætera, vel ortu, vel occasu suo, certis stationibus opportunitates temporum subministrant. Sed et navigiis, quominus errabundo cursu per immensum vagentur, regimen præbent, cum ea rite gubernator observans, ad portum destinati littoris pervehatur. Ventorum spiritu attrahuntur nubes, ut sata imbribus irrigentur, ut vites fœtibus, arbusta pomis exuberent. Et hæc per orbem vicibus

exhibentur, ne desit aliquando, quo vita hominum sustineatur. At enim cæteras animantes eadem terra nutrit, et ejusdem fœtu etiam muta pascuntur. Num etiam mutorum causa Deus laboravit? Minime, quia sunt rationis expertia. Sed intelligimus, et ipsa eodem modo in usum hominis a Deo facta, partim ad cibos, partim ad vestitum, partim ad operis auxilia; ut clarum sit, divinam providentiam rerum et copiarum abundantia hominum vitam instruere atque ornare voluisse, ob eamque causam, et aërem volucribus, et mare piscibus, et terram quadrupedibus implevit. Sed Academici contra Stoïcos disserentes solent quærere, cur, si Deus omnia hominum causa fecerit, etiam multa contraria, et inimica, et pestifera nobis reperiantur, tam in mari, quam in terra. Quod Stoïci veritatem non respicientes ineptissime repulerunt. Aiunt, enim, multa esse in gignentibus, et in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas : sed eam processu temporum inveniri; sicut jam plura prioribus sæculis incognita necessitas et usus invenerit. Quæ tandem utilitas potest in muribus, in blattis, in serpentibus reperiri, quæ homini molesta et perniciosa sunt? An medicina in his aliqua latet? Quæ si est, invenietur aliquando, nempe adversus mala, cum id illi quærantur esse omnino malum. Viperam ferunt exustam in cineremque dilapsam, mederi ejusdem bestiæ morsui. Quanto melius fuerat eam prorsus non esse, quam remedium contra se ab ea ipsa desiderari?

Brevius igitur, ac verius respondere potuerunt in hunc modum. Deus cum formasset hominem veluti simulacrum suum, quod erat divini opificii summum, inspiravit ei sapientiam soli, ut omnia imperio ac ditioni suæ subjugaret omnibusque mundi commodis uteretur. Proposuit tamen ei et bona et mala; quia sapientiam dedit; cujus omnis ratio in discernendis malis ac bonis sita est. Non potest enim

quisquam eligere meliora et scire quid bonum sit, nisi sciat simul rejicere ac vitare quæ mala sunt. Invicem sibi alterutra connexa sunt, ut, sublato alterutro, utrumque tolli sit necesse. Propositis igitur bonis malisque, tum demum opus suum peragit sapientia; et quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem. Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset; sic etiam mala, quæ caveret. Nam si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione? cum quocumque porrexerit manum, id naturæ aptum et accomodatum sit: ut si quis velit apparatissimam cœnam infantibus, qui nondum sapiant, apponere, utique id appetent singuli, quo unumquemque, aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit, et quidquid sumpserint, id illis erit vitale ac salubre. Quid igitur nocebit, eos sicuti sunt, permanere et semper infantes ac nescios esse rerum? Si autem admisceas vel amara, vel inutilia, vel etiam venenata, decipiuntur utique per ignorantiam boni ac mali, nisi accedat his sapientia, per quam habeant malorum rejectionem, bonorumque delectum.

Vides ergo, magis propter mala opus nobis esse sapientia, quæ nisi fuissent proposita, rationale animal non essemus. Quod si hæc ratio vera est, quam stoïci nullo modo videre potuerunt, dissolvitur etiam argumentum illud Epicuri. Deus, inquit, aut vult tollere mala et non potest; aut potest et non vult; aut neque vult, neque potest; aut et vult et potest. Si vult et non potest, imbecillis est; quod in Deum non cadit. Si potest et non vult, invidus; quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, et invidus et imbecillis est; ideoque neque Deus. Si vult et potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur

illa non tollit? Scio plerosque philosophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere et invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maxime quærit Epicurus. Sed nos ratione perspecta, formidolosum hoc argumentum facile dissolvimus. Deus enim potest quidquid velit, et imbecillitas vel invidia in Deo nulla est; potest igitur mala tollere, sed non vult; nec ideo tamen invidus est. Idcirco enim non tollit, quia sapientiam (sicut edocui) simul tribuit, et plus est boni ac jucunditatis in sapientia, quam in malis molestiæ. Sapientia enim facit, ut etiam Deum cognoscamus et per eam cognitionem immortalitatem assequamur; quod est summum bonum. Itaque nisi prius malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnoscere. Sed hoc non vidit Epicurus, nec alius quisquam: si tollantur mala, tolli pariter sapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere vestigia, cujus ratio in sustinenda et superanda malorum acerbitate consistit. Itaque propter exiguum compendium sublatorum malorum maximo et vero et proprio nobis bono careremus. Constat igitur, omnia propter hominem proposita, tam mala quam etiam bona.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Cur Deus fecerit hominem.

Sequitur ut ostendam cur fecerit hominem ipsum Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cœlestium. Solus est enim, qui ens iens, capaxque rationis, intelligere possit Deum, qu

opera ejus admirari, virtutem potestatemque perspicere; idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est. Ideo solus præter cæteras animantes recto corpore ac statu factus est, ut ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majestatem domini sui possit. Postremo idcirco ei cuncta subjecta sunt, ut factori atque artifici Deo esset ipse subjectus. Si ergo Deus hominem suum voluit esse cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur; utique justissimum est et eum qui tanta præstiterit, amare et hominem, qui sit nobiscum divini juris societate conjunctus. Nec enim fas est, cultorem Dei a Dei cultore violari. Unde intelligitur, religionis ac justitiæ causa esse hominem figuratum. Cujus rei testis est Marcus Tullius in libris de Legibus, ita dicens: « Sed omnium, quæ in doctorum hominum disputa» tione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane » intelligi, nos ad justitiam esse natos. » Quod si est verissimum, Deus ergo vult omnes homines esse justos, id est, Deum et hominem caros habere : Deum scilicet honorare tanquam patrem, hominem diligere velut fratrem; in his enim duobus tota justitia consistit. Qui ergo aut Deum non agnoscit, aut homini nocet, injuste et contra naturam suam vivit, et hoc modo rumpit institutum legemque divinam.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Unde ad hominem peccata pervenerint.

Hic fortasse quærat aliquis, unde ad hominem peccata pervenerint, aut quæ pravitas divini instituti regulam ad

pejora detorserit, ut cum sit ad justitiam genitus, opera tamen efficiat injusta. Jam superius explanavi, simul Deum proposuisse bonum ac malum (17); et bonum quidem diligere, malum autem, quod huic repugnat, odisse : sed ideo malum permisisse, ut et bonum emicaret, quod alterum sine altero (sicut sæpe docui), intelligimus constare non posse : denique ipsum mundum ex duobus elementis repugnantibus et invicem copulatis esse concretum, igneo et humido, nec potuisse lucem fieri, nisi et tenebræ fuissent; quia nec superum potest esse sine infero, nec oriens sine occidente, nec calidum sine frigido, nec molle sine duro. Sic et nos ex duobus æque repugnantibus compacti sumus, anima et corpore : quorum alterum cœlo ascribitur, quia tenue est et intractabile; alterum terræ, quia comprehensibile est : alterum solidum et æternum est, alterum fragile atque mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum : alteri lux, vita, justitia; alteri tenebræ, mors, injustitia. Hinc extitit in hominibus naturæ suæ depravatio; ut esset necesse constitui legem, qua possent et vitia prohiberi, et virtutis officia imperari. Cum igitur sint in rebus humanis bona et mala, quorum rationem declaravi, necesse est in utramque partem moveri Deum, et ad gratiam, cum justa fieri videt; et ad iram, cum cernit injusta.

Sed occurrit nobis Epicurus, ac dicit : « Si est in Deo » lætitiæ affectus ad gratiam, et odii ad iram, necesse est ha» beat et timorem, et libidinem, et cupiditatem, cæterosque » affectus, qui sunt imbecillitatis humanæ. » Non est necesse ut timeat, qui irascitur; aut mœreat, qui gaudet : denique iracundi, minus timidi sunt; et natura læti, minus mœrent. Quid opus est de humanis affectibus dicere, quibus fragilitas nostra succumbit? Consideremus divinam necessitatem; nolo enim naturam dicere, quia Deus noster nunquam creditur natus. Timoris affectus habet in homine mate-

riam, in Deo non habet. Homo, quia multis casibus periculisque subjectus est, metuit, ne qua vis major existat, quæ illum verberet, spoliet, laceret, affligat, interimat. Deus autem, in quem nec egestas, nec injuria, nec dolor, nec mors cadit, timere nullo pacto potest; quia nihil est, quod ei vim possit inferre. Item libidinis ratio et causa in homine manifesta est. Nam quia fragilis et mortalis effectus est, necesse fuit alterum sexum diversumque constitui, cujus permistione soboles effici posset ad continuandam generis perpetuitatem. Hæc autem libido in Deo locum non habet; quia et fragilitas et interitus ab eo alienus est, nec ulla est apud eum fœmina, cujus possit copulatione gaudere, nec successione indiget, qui semper futurus est. Eadem de invidia et cupiditate dici possunt; quæ certis manifestisque de causis in hominem cadunt, in Deum nullo modo. At vero et gratia, et ira, et miseratio habent in Deo materiam; recteque illis utitur summa illa et singularis potestas ad rerum conservationem.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Deo, ejusque ira et affectibus.

Quæret quispiam, quæ sit ista materia? Primum accidentibus malis afflicti homines ad Deum plerumque confugiunt, mitigant, obsecrant, credentes eum posse ab his injurias propulsare. Habet igitur causam miserandi; nec enim tam immitis est hominumque contemptor, ut auxilium laborantibus deneget. Item plurimi, quibus persuasum est Deo placere justitiam, eumque qui sit dominus ac parens omnium, venerantur, et precibus assiduis ac frequentibus votis, dona et sacrificia offerunt, nomen ejus laudibus

prosequuntur, justis ac bonis operibus demereri eum laborantes. Ergo est, propter quod Deus et possit, et debeat gratificari. Nam si nihil est tam conveniens Deo, quam beneficentia, nihil autem tam alienum, quam ut sit ingratus : necesse est, ut officiis optimorum sancteque viventium præstet aliquid, ac vicem reddat, ne subeat ingrati culpam, quæ est etiam homini criminosa. Contra autem sunt alii facinorosi, et nefarii, qui libidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, sapiant, perjurent; nec consanguineis, nec parentibus parcant; leges, et ipsum etiam Deum negligant.

Habet igitur ira in Deo materiam. Non est enim fas eum, cum talia fieri videat, non moveri, et insurgere ad ultionem sceleratorum, et pestiferos nocentesque delere, ut bonis omnibus consulat, adeo et in ipsa ira inest et gratificatio. Inania ergo et falsa reperiuntur argumenta, vel eorum, qui, cum irasci Deum nolunt, gratificari volunt, quia ne hoc quidem fieri sine ira potest; vel eorum, qui nullum animi motum esse in Deo putant. Et quia sunt aliqui affectus, qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, mœror, invidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt. His enim vacat, quia vitiorum affectus sunt : eos autem, qui sunt virtutis, id est, ira in malos, caritas in bonos, miserátio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios, et justos, et veros habet. Quæ profecto nisi habeat, humana vita turbabitur; atque ad tantam confusionem deveniet status rerum, ut contemptis superatisque legibus, sola regnet audacia, ut nemo denique tutus esse possit, nisi qui viribus prævaleat. Ita quasi communi latrocinio terra omnis depopulabitur. Nunc vero quoniam et mali pœnam, et boni gratiam, et afflicti opem sperant; et virtutibus locus est, et scelera rariora sunt. Atenim plerumque et scelerati feliciores sunt, et boni miseriores, et

justi ab injustis impune vexantur. Considerabimus postea cur ista fiant. Interim de ira explicemus, an sit aliqua in Deo; utrum nihil curet omnino, nec moveatur ad ea, quæ impie geruntur.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Deo, cura et ira.

Deus, inquit Epicurus, nihil curat; nullam igitur habet potestatem. Curare enim necesse est eum, qui habet potestatem; vel si habet, et non utitur, quæ tanta causa est, ut ei, non dicam nostrum genus, sed etiam mundus ipse sit vilis? Ideo, inquit, incorruptus est ac beatus, quia semper quietus. Cui vero administratio tantarum rerum cessit, si hæc a Deo negligantur, quæ videmus ratione summa gubernari? aut quietus esse quomodo potest, qui vivit et sentit? Nam quies aut somni res est, aut mortis. Sed nec somnus habet quietem. Nam cum soporati sumus, corpus quidem quiescit, animus tamen irrequietus agitatur : imagines sibi, quas cernat, effingit, ut naturalem suum motum exerceat varietate visorum, avocatque se a falsis, dum membra saturentur, ac vigorem capiant de quiete. Quies igitur sempiterna solius mortis est. Si autem mors Deum non attingit, Deus igitur nunquam quietus est. Dei vero actio quæ potest esse, nisi mundi administratio? Si vero mundi curam gerit, curat igitur hominum vitam Deus, ac singulorum actus animadvertit, eosque sapientes ac bonos esse desiderat. Hæc est voluntas Dei, hæc divina lex; quam qui sequitur, qui observat, Deo carus est. Necesse est igitur, ut

ira moveatur adversus eum, qui hanc æternam divinamque legem, aut violaverit, aut spreverit. Si nocet, inquit, alicui Deus, jam bonus non est. Non exiguo falluntur errore, qui censuram sive humanam, sive divinam, acerbitatis et malitiæ nomine infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna. Quod si est, nocentes igitur leges habemus, quæ peccantibus supplicia sanxerunt; nocentes judices, qui scelere convictos pœna capitis afficiunt. Quod si et lex justa est, quæ et nocenti tribuit, quod meretur, et judex integer ac bonus dicitur, cum male facta vindicat (bonorum enim salutem custodit, qui malos punit), ergo et Deus, cum malis obest, nocens non est; ipse autem est nocens, qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, ut pluribus noceat.

Libet quærere ab iis, qui Deum faciunt immobilem, si quis habeat rem, domum, familiam, serviquc ejus contemnentes patientiam domini, omnia invaserint, ipsi bonis ejus fruantur, ipsos familia ejus honoret, dominus autem contemnatur ab omnibus, deridcatur, relinquatur : utrumne sapiens esse possit, qui contumelias non vindicet, suisque rebus eos perfrui patiatur, in quos habeat potestatem? Quæ tanta in quoquam potest patientia reperiri? si tamen patientia nominanda est, et non stupor quidam insensibilis. Sed facile est ferre contemptum. Quid si fiant illa, quæ a Cicerone dicuntur? « Etenim quæro, si quis pater familias liberis » suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, sup» plicium de servo non quam acerrimum sumpserit; utrum » is clemens ac misericors, an inhumanus et crudelissi» mus esse videatur? » Quod si ejusmodi facinoribus ignoscere, crudelitatis est potius quam pietatis, non est ergo virtutis in Deo, ad ea, quæ injuste fiunt, non commoveri. Nam mundus tanquam Dei domus est, et homines tanquam servi : quibus si ludibrio sit nomen ejus, qualis aut quanta

patientia est, ut honoribus suis cedat, prava et iniqua fieri videat, et non indignetur, quod proprium et naturale est ei, cui peccata non placeant? Irasci ergo rationis est; auferuntur enim delicta, et refrænatur licentia, quod utique juste, sapienterque sit.

Sed stoïci non viderunt esse discrimen recti et pravi; esse iram justam et injustam : et quia medelam rei non inveniebant, voluerunt eam penitus excidere. Peripatetici vero non excidendam, sed temperandam esse dixerunt : quibus in sexto libro Institutionum satis respondimus. Nescisse autem philosophos, quæ ratio esset iræ, apparet ex definitionibus eorum, quas Seneca enumeravit in libris, quos de ira composuit. « Ira est, *inquit*, cupiditas ulcis» cendæ injuriæ. Alii, *ut ait Posidonius*, cupiditas puniendi » ejus, a quo te inique putes læsum. » Quidam ita definierunt : « Ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut no» cuit, aut nocere voluit. » Aristotelis definitio non multum a nostra abest. Ait enim, iram esse cupiditatem doloris rependendi. Hæc est ira, de qua superius diximus, injusta; quæ etiam mutis inest : in homine vero cohibenda est, ne ad aliquod maximum malum prosiliat per furorem. Hæc in Deo esse non potest, quia illæsibilis est; in homine autem, quia fragilis est, invenitur. Inurit enim læsio dolorem et dolor facit ultionis cupiditatem. Ubi est ergo illa ira justa adversus delinquentes? quæ utique non est cupiditas ultionis, quia non præcedit injuria. Non dico de iis qui adversus leges peccant, quibus etsi judex sine crimine irasci potest, fingamus tamen, cum sedato animo esse debere, cum subjicit pœnæ nocentem, quia legum sit minister, non animi, aut potestatis suæ; sic enim volunt, qui iram conantur evellere. Sed de iis potissimum dico, qui sunt nostræ potestatis, ut servi, liberi, conjuges et discipuli : quos cum delinquere videmus, incitamur ad coercendum.

Necesse est enim bono ac justo displicere, quæ prava sunt; et cui malum displicet, moveri, cum id fieri videt. Ergo surgimus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc est ira justa, quæ sicut in homine necessaria est ad pravitatis correctionem, sic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum. Nam sicuti nos potestati nostræ subjectos coercere debemus : ita etiam peccata universorum Deus coercere debet. Quod ut faciat, irascatur necesse est; quia naturale est bono ad alterius peccatum moveri et incitari. Ergo definire debuerunt : Ira est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. Nam definitio Ciceronis, Ira est libido ulciscendi, non multum a superioribus distat. Ira autem, quam possumus vel furorem, vel iracundiam nominare, hæc ne in homine quidem debet esse, quia tota vitiosa est. Ira vero, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest, quia et utilis est rebus humanis, et necessaria.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De peccatis vindicandis, sine ira fieri non posse.

Quid opus est, inquiunt, ira, cum sine hoc affectu peccata corrigi possint? Atqui nullus est, qui peccantem possit videre tranquille : possit fortasse, qui legibus præsidet, quia facinus non sub oculis ejus admittitur, sed defertur aliunde tanquam dubium, nec unquam potest esse scelus tam clarum, ut defensioni locus non sit : et ideo potest judex non

moveri adversus eum, qui potest innocens inveniri. Cumque detectum facinus in lucem venerit, jam non sua, sed legum sententia utitur. Potest concedi, ut sine ira faciat, quod facit; habet enim quod sequatur. Nos certe, cum domi peccatur à nostris, sive id cernimus, sive sentimus, indignari necesse est; ipse enim peccati aspectus indignus est. Nam qui non movetur omnino, aut probat delicta, quod est turpius et injustius, aut molestiam castigandi fugit, quam sedatus animus et quieta mens aspernatur ac renuit, nisi stimulaverit ira et incitaverit. Qui autem cum moveatur, tamen intempestiva lenitate, vel sæpius quam necesse est, vel etiam semper ignoscit, is plane et illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora majora, et sibi ipsi æternam molestiarum materiam subministrat. Vitiosa est ergo in peccatis iræ suæ cohibitio.

Laudatur Archytas Tarentinus, qui cum in agro corrupta esse omnia comperisset, villici sui culpam redarguens: Miserum te, inquit, quem jam verberibus necassem, nisi iratus essem. Unicum hoc exemplum temperantiæ putant: sed autoritate ducti non vident, quam inepta et locutus fuerit, et fecerit. Nam si (ut ait Plato) nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur, apparet quam malum vir sapiens proposuerit exemplum. Si enim senserint servi dominum suum sævire, cum non irascitur, tum parcere, cum irascitur, non peccabunt utique leviter, ne verberentur; sed quantum poterunt gravissime, ut stomachum ejus incitent, atque impune discedant. Ego vero laudarem, si cum fuisset iratus, dedisset iræ suæ spatium; ut residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio. Non ergo propter iræ magnitudinem donanda erat pœna, sed differenda; ne aut peccanti majorem justo dolorem inureret, aut castigandi furorem. Nunc vero quæ tandem æquitas, aut quæ sapientia est, ut aliquis ob exi-

guum delictum puniatur, ob maximum non puniatur? Quod si naturam rerum causasque didicisset, nunquam tam importunam continentiam profiteretur, ut nequam servus iratum sibi fuisse dominum gratularetur. Nam sicut corpus humanum Deus multis et variis sensibus ad usum vitæ necessariis instruxit: sic et animo varios attribuit affectus, quibus vitæ ratio constaret; ut libidinem probendæ sobolis gratia dedit, sic iram cohibendorum causa delictorum.

Verum ii, qui nesciunt fines bonorum ac malorum, sicut libidine utuntur ad corruptelas et ad voluptates, sic ira et affectu ad nocendum, dum iis, quos odio habent, irascuntur. Ergo etiam non peccantibus irascuntur, etiam paribus, aut etiam superioribus. Hinc quotidie ad immania facinora prosilitur: hinc tragœdiæ sæpe nascuntur. Esset igitur laudandus Archytas, si, cum alicui civi et pari facienti sibi injuriam fuisset iratus, repressisset se tamen, et patientia furoris impetum mitigasset. Hæc sui cohibitio gloriosa est, qua compescitur aliquod imminens magnum malum. Servorum autem filiorumque peccata non coercere, peccatum est; evadent enim ad majus malum per impunitatem. Hic non cohibenda ira, sed etiam, si jacet, excitanda est. Quod autem de homine dicimus, id etiam de Deo, qui hominem similem sui fecit. Omitto de figura Dei dicere, quia Stoïci negant habere ullam formam Deum; et ingens alia materia nascetur, si eos coarguere velimus: de animo tantum loquor. Si Deo subjacet cogitare, sapere, intelligere, providere, præstare: ex omnibus autem animalibus homo solus hæc habet; ergo ad Dei similitudinem factus est: sed ideo procedit in vitium, quia de terrena fragilitate permistus, non potest id, quod a Deo sumpsit, incorruptum purumque servare, nisi ab eodem Deo justitiæ præceptis imbuatur.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De anima et corpore, deque Providentia.

Sed quoniam compactus est, ut diximus, e duobus, animo et corpore, in altero virtutes, in altero vitia continentur, et impugnant se invicem. Animi enim bona, quæ sunt in continendis libidinibus, contraria sunt corpori; et corporis bona, quæ sunt in omni genere voluptatum, inimica sunt animo. Sed si virtus animi repugnaverit cupiditatibus, easque compresserit, erit vere Deo similis. Unde apparet animam hominis, quæ virtutem divinam capit, non esse mortalem. Sed discrimen illud est, quod cum virtus habeat amaritudinem, et sit dulcis illecebra voluptatis, vincuntur plurimi, et abstrahuntur ad suavitatem. Ii vero, qui se corpori rebusque terrenis addixerunt, premuntur in terram, nec assequi possunt divini muneris gratiam, quia se vitiorum labibus inquinaverunt. Qui autem Deum secuti, eique parentes, corporis desideria contempserint, et virtutem præferentes voluptatibus, innocentiam justitiamque servaverint: hos Deus ut sui similes recognoscit.

Cum igitur sanctissimam legem posuerit, velitque universos, innocentes, ac beneficos esse; potestne non irasci, cum videt contemni legem suam, abjici virtutem, appeti voluptatem? Quod si est mundi administrator, sicut esse debet, non utique contemnit id, quod est in omni mundo vel maximum. Si est providus, ut oportet Deum, consulit utique generi humano, quo sit vita nostra et copiosior, et melior, et tutior. Si est pater ac Deus universorum, certe

virtutibus hominum delectatur, et vitiis commovetur; ergo et justos diligit, et impios odit. Odio (inquit) opus non est; semel enim statuit bonis præmium, et malis pœnam. Quod si aliquis juste innocenterque vivat, et idem Deum nec colat, nec curet omnino, ut Aristides, et Timon, cæterique philosophorum, cedetne huic impune, quod cum legi Dei obtemperarit, ipsum tamen spreverit? Est igitur aliquid, propter quod Deus possit irasci, tanquam fiducia integritatis adversus eum rebellanti. Si huic potest irasci propter superbiam, cur non magis peccatori, qui legem cum ipso pariter latore contempserit? Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ. Deus autem potest, quia est legis suæ ipse disceptator et judex: quam cum poneret, non utique ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam.

CAPUT VIGESIMUM.

De peccatis et Dei misericordia.

Si potest ignoscere, potest igitur et irasci. Cur ergo, inquiet aliquis, et qui peccant, sæpe felices sunt, et qui pie vivunt, sæpe miseri? Quia fugitivi et abdicati libere vivunt, et qui sub disciplina patris aut domini sunt, strictius et frugalius. Virtus enim per mala et probatur, et constat; vitia per voluptatem. Nec tamen ille qui peccat, sperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla est perpetua felicitas:

. . . . . Sed scilicet ultima semper

Expectanda dies homini; dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet [1];

ut ait poëta non insuavis. Exitus est, qui arguit felicitatem; et nemo judicium Dei potest, nec vivus effugere, nec mortuus. Habet enim potestatem, et vivos præcipitare de summo, et mortuos æternis afficere cruciatibus. Imo, inquit, si irascitur Deus, statim debuit vindicare, et pro merito quemque punire. Atenim si id faceret, nemo superesset. Nullus est enim, qui nihil peccet; et multa sunt, quæ ad peccandum irritent, ætas, vinolentia, egestas, occasio, præmium. Adeo subjecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus, ut nisi huic necessitati Deus parceret, nimium fortasse pauci viverent : propter hanc causam patientissimus est, et iram suam continet. Nam quia perfecta est in eo virtus, necesse est patientiam quoque ejus esse perfectam, quæ et ipsa virtus est. Quam multi ex peccatoribus justi posterius effecti sunt, ex malis boni, ex improbis continentes! quam multi in prima ætate turpes, et omnium judicio damnati, postmodum tamen laudabiles extiterunt! Quod utique non fieret, si omne peccatum pœna sequeretur.

Leges publicæ manifestos reos damnant : sed plurimi sunt, quorum peccata occultantur; plurimi, qui delatorem comprimunt, aut precibus, aut præmio; plurimi, qui judicia eludunt per gratiam, vel potentiam. Quod si eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, censura divina damnaret, esset homo aut rarus, aut etiam nullus in terra. Denique vel una illa causa delendi generis humani justa esse potuisset, quod homines, contempto Deo vivo, terrenis fragilibusque figmentis honorem divinum tanquam cœlestibus deferunt, adorantes opera humanis digitis laborata. Cumque illos Deus artifex, ore sublimi, statu recto figuratos, ad

[1] Ovid., Metam. III, 135.

contemplationem cœli et notitiam Dei excitaverit, curvare se ad terram maluerunt pecudum modo. Humilis enim, et curvus, et pronus est, qui ab aspectu cœli Deique patris aversus, terrena, quæ calcare debuerat, id est, de terra ficta et formata, veneratur. In tanta igitur impietate hominum tantisque peccatis id assequitur patientia Dei, ut se ipsi homines damnatis vitæ prioris erroribus corrigant. Denique, et boni sunt justique multi, et abjectis terrenis cultibus, majestatem Dei singularis agnoscunt. Sed cum maxima et utilissima sit Dei patientia, tamen, quamvis sero, noxios punit, nec patitur longius procedere, cum eos inemendabiles esse perviderit.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De ira Dei et hominis.

Superest una et extrema quæstio. Nam dixerit fortasse quispiam, adeo non irasci Deum, ut etiam in præceptis hominem irasci vetet. Possem dicere, quod ira hominis refrænanda fuerit, quia injuste sæpe irascitur; et præsentem habet motum, quia temporalis est. Itaque ne fierent ea, quæ faciunt per iram et humiles, et mediocres, et magni reges, temperari debuit furor ejus, et comprimi, ne mentis impos aliquod inexpiabile facinus admitteret. Deus autem non ad præsens irascitur, quia æternus est perfectæque virtutis; et nunquam nisi merito irascitur. Sed tamen non ita res se habet. Nam si omnino prohiberet irasci, ipse quodammodo reprehensor opificii sui fuisset, qui a principio

iram jecori hominis indidisset : siquidem creditur, causam hujus commotionis in humore fellis contineri. Non igitur in totum prohibet irasci, quia is affectus necessario datus est : sed prohibet in ira permanere. Ira enim mortalium debet esse mortalis, nam si maneat, confirmantur inimicitiæ ad perniciem sempiternam. Deinde rursus cum irasci quidem, sed tamen non peccare præcepit, non utique evellit iram radicitus, sed temperavit ; ut in omni castigatione modum ac justitiam teneremus. Qui ergo irasci nos jubet, ipse utique irascitur : qui placari celerius præcipit, est utique ipse placabilis ; ea enim præcipit, quæ sunt justa, et rebus utilia communibus.

Sed quia dixeram non esse iram Dei temporalem, sicut hominis, qui præsentanea commotione fervescit, nec facile regere se potest propter fragilitatem, intelligere debemus, quia sit æternus Deus, iram quoque ejus in æternum manere : sed rursum, quia virtute sit maxima præditus, in potestate habere iram suam ; nec ab ea regi, sed ipsum illam, quemadmodum velit, moderari : quod utique non repugnat superiori. Nam si prorsus immortalis fuisset ira ejus, non esset satisfactioni aut gratiæ post delictum locus ; cum ipse homines ante solis occasum reconciliari jubeat. Sed ira divina in æternum manet adversus eos, qui peccant in æternum. Itaque Deus non thure, non hostia, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur ; et qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit. Ideirco enim non ad præsens noxium quemque punit, ut habeat homo resipiscendi et corrigendi sui facultatem.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De peccatis; deque iis recitati versus Sibyllæ.

Hæc habui, quæ de ira Dei dicerem, Donate carissime; ut scires quemadmodum refelleres eos, qui Deum faciunt immobilem. Restat, ut more Ciceronis utamur epilogo ad perorandum. Sicut ille in Tusculanis de morte disserens fecit : ita nos in hoc opere testimonia divina, quibus credi possit, adhibere debemus, ut illorum persuasionem revincamus, qui sine ira Deum esse credentes, dissolvunt omnem religionem, sine qua, ut ostendimus, aut immanitate belluis, aut stultitia pecudibus adæquamur; in sola enim religione, id est, in Dei summi notione sapientia est. Prophetæ universi divino spiritu repleti nihil aliud, quam de gratia Dei erga justos, et de ira ejus adversus impios loquuntur. Quorum testimonia nobis quidem satis sunt : verum iis quoniam non credunt isti, qui sapientiam capillis et habitu jactant, ratione quoque et argumentis fuerant nobis refellendi. Sic enim præpostere agitur, ut humana divinis tribuant auctoritatem, cum potius humanis divina debuerint. Quæ nunc sane omittamus ne nihil apud istos agamus, et in infinitum materia procedat. Ea igitur quæramus testimonia, quibus illi possint, aut credere, aut certe non repugnare.

Sibyllas plurimi et maximi auctores tradiderunt; Græcorum, Aristo Chius et Apollodorus Erythræus; nostrorum, Varro et Fenestella. Ili omnes præcipuam, et nobilem præter cæteras Erythræam fuisse commemorant. Apollodorus

quidem ut de civi ac populari sua gloriatur. Fenestella vero etiam legatos Erythras a senatu esse missos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur, et ea consules Curio et Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Quinto Catulo restitutum, ponenda curarent. Apud hanc de summo et conditore rerum Deo hujusmodi versus reperiuntur:

Ἄφθαρτος κτίστης αἰῶνιος αἰθέρα ναίων,
Τοῖς ἀγαθοῖς ἀγαθὸν προφέρων, πολὺ μείζονα μισθόν·
Τοῖς δὲ κακοῖς ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν ἐγείρων [1].

Incorruptibilis conditor æternus in æthere habitans,
Bonis bonum proferens, multo majorem mercedem;
Malis autem et injustis iram et furorem excitans.

Rursus alio loco, enumerans quibus maxime facinoribus incitetur Deus, hæc intulit:

Φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους, θεῷ ζῶντι λάτρευε.
Μοιχείας τε φύλασσε, καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνήν,
Ἰδίαν γενεὰν παίδων τρέφε, μήδε φόνευε·
Καὶ γὰρ ὁ ἀθάνατος κεχολώσεται, ὅσκεν ἁμάρτῃ.

Fuge vero religiones impias, et Deo vivo famulare.
Ab adulterio te abstine, et a masculi commixtione impura.
Propriam generationem filiorum nutri, et ne occidas;
Etenim immortalis irascitur ei qui peccaverit.

Indignatur ergo adversus peccatores.

[1] Sibyl, ser. III, ad finem.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De ira Dei, et peccatorum punitione, deque ea Sibyllarum carmina recitata: castigatio præterea et adhortatio.

Verum quia plures, ut ostendi, sibyllæ a doctissimis auctoribus fuisse traduntur, unius testimonium satis non sit ad confirmandam, sicut intendimus, veritatem. Cumeæ quidem volumina, quibus Romanorum fata conscripta sunt, in arcanis habentur: cæterarum tamen fere omnium libelli, quominus in usu sint omnibus, non vetantur; ex quibus alia denuntians universis gentibus iram Dei ob impietatem hominum, hoc modo exorsa est:

Ἐρχομένης ὀργῆς μεγάλης ἐπὶ κόσμον ἀπειθῆ,
Ἔσχατον εἰς αἰῶνα θεοῦ μηνύματα φαίνω,
Πᾶσι προφητεύσασα κατὰ πόλιν ἀνθρώποισι[1].

Veniente ira magna ad mundum pertinacem,
Postremum ad sæculum Dei edicta pando,
Omnibus vaticinans oppidatim hominibus.

Alia quoque per indignationem Dei adversus injustos cataclysmum priore sæculo factum esse dixit, ut malitia generis humani extingueretur.

Ἐξ οὗ μηνίσαντος ἐπουρανίοιο θεοῖο
Αὐταῖσι πολίεσσι καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασιν,
Γῆν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος[2].

Ex quo irato supercœlesti Deo

[1] Serm. VIII, initio. — [2] Id. IV, initio.

Ipsis urbibus et hominibus cunctis,
Terram cooperuit mare diluvio erupto.

Simili modo deflagrationem postea futuram vaticinata est, qua rursus impietas hominum deleatur.

Καί ποτε τὴν ὀργὴν θεὸν οὐκ ἔτι πραΰνοντα,
Ἀλλ' ἐξεμβρίθοντα, καὶ ἐξολύοντά τε γένναν
Ἀνθρώπων, ἅπασαν ὑπ' ἐμπρήσμοῦ πέρθοντα [1].

Et aliquando Deum iram non amplius placantem,
Sed aggravantem, et perdentem genus
Hominum, ac totum id incendio depopulantem.

Unde apud Nasonem de Jove ita dicitur:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Quod tunc fiat necesse est, cum honor et cultus Dei summi apud homines interierit.

Eadem tamen, placari eum pœnitentia factorum et sui emendatione contestans, hæc addidit:

Ἀλλ' ἐλέει μετάθεσθε βροτοὶ νῦν, μήδε πρὸς ὀργὴν
Παντοίην ἀγάγητε θεὸν μέγαν [2].

Sed misericordia convertimini homines nunc, neque ad
Omnigenam adducite Deum magnum. [iram

Item paulo post:

Οὐκ ὀλέσει, παύσει δὲ πάλιν χόλον, εὖτ' ἂν ἅπαντες
Εὐσεβέειν ἐρίτιμον ἐνὶ φρεσὶν ἀσκήσητε [3].

Non perdet, sedabit autem iterum iram, cum omnes
Pietatem pretiosam in præcordiis exercueritis.

[1] Serm. IV, ad fin. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

Deinde alia sibylla cœlestium terrenorumque genitorem diligi oportere denuntiat, ne ad perdendos homines indignatio ejus insurgat :

Μήποτε θυμωθεὶς θεὸς ἄφθιτος ἐξαπολέσσῃ
Πᾶν γένος ἀνθρώπων, βίοτον καὶ φῦλον ἀναιδὲς,
Δεῖ στέργειν γενετῆρα θεὸν σοφὸν αἰὲν ἐόντα.

Ne forte iratus Deus incorruptibilis perdat
Omne genus hominum, vitam et gentem impudentem,
Oportet amare genitorem Deum sapientem qui semper est.

Ex his apparet vanas esse rationes philosophorum, qui Deum putant sine ira; et inter cæteras laudes ejus id ponunt, quod est inutilissimum, detrahentes ei, quod est rebus humanis maxime salutare, per quod constat ipsa majestas. Regnum hoc imperiumque terrenum, nisi metus custodiat, solvitur. Aufer iram regi, non modo nemo parebit, sed etiam de fastigio præcipitabitur. Imo vero cuilibet humili eripe hunc affectum, quis eum non spoliabit? quis non deridebit? quis non afficiet injuria? Ita nec indumenta, nec sedem, nec victum poterit habere, aliis quidquid habuerit diripientibus; nedum putemus cœlestis imperii majestatem sine ira et metu posse consistere. Apollo Milesius, de Judæorum religione consultus, responso hoc indidit :

Ἠδὲ θεὸν βασιλῆα καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων,
Ὃν τρέμετσι καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοὶ, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν.

Et Deum regem et genitorem omnium,
Quem contremiscit terra, et cœlum, ac mare,
Tartareæque latebræ et dæmones horrescunt.

Si tam lenis est, quam philosophi volunt, quomodo ad nutum ejus non modo dæmones, et ministri tantæ potestatis, sed etiam cœlum, et terra, et rerum natura omnis con-

tremiscit? Si enim nullus alteri servit nisi coactus, omne igitur imperium metu constat: metus autem per iram: nam si non moveatur quis adversus parere nolentem, nec cogi poterit ad obsequium. Consulat unusquisque affectus suos: jam intelliget, neminem posse sine ira et castigatione imperio subjugari. Ubi ergo ira non fuerit, imperium quoque non erit. Deus autem habet imperium; ergo et iram, qua constat imperium, habeat necesse est. Quapropter nemo vaniloquentia philosophorum inductus ad contemptum se Dei erudiat; quod est maximum nefas. Debemus hunc omnes et amare, quod pater est; et vereri, quod dominus; et honorificare, quod beneficus; et metuere, quod severus: utraque persona in eo venerabilis. Quis salva pietate non diligat animæ suæ parentem? aut quis impune contemnat eum, qui rerum dominator, habeat in omnes veram, et æternam potestatem? Si patrem consideres, ortum nobis ad lucem, qua fruimur, subministrat: per illum vivimus, per illum in hospitium hujus mundi intravimus. Si Deum cogites, ille nos innumerabilibus copiis alit, ille sustentat, in hujus domo habitamus, hujus familia sumus; et si minus obsequens, quam decebat, minusque officiosa, quam domini et parentis immortalia merita poscebant: tamen plurimum proficit ad veniam consequendam, si cultum ejus notionemque teneamus; si abjectis humilibus terrenisque tam rebus, quam bonis, cœlestia et divina sempiterna meditemur. Quod ut facere possimus, Deus nobis sequendus est, Deus adorandus et diligendus est; quoniam in eo est materia rerum, et ratio virtutum, et fons bonorum.

Quid enim Deo aut potentia majus est, aut ratione perfectius aut claritate luculentius? Qui quoniam nos ad sapientiam genuit, ad justitiam procreavit; non est fas hominem, relicto Deo sensus ac vitæ datore, terrenis fragilibusque famulari, aut quærendis temporalibus bonis inhærentem,

ab innocentia et pietate desciscere. Non faciunt beatum vitiosæ ac mortiferæ voluptates, non opulentia libidinum incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores, quibus illaqueatus animus humanus, et corpori mancipatus, æterna morte damnatur : sed innocentia sola, sola justitia, cujus legitima et digna merces est immortalitas, quam statuit a principio Deus sanctis et incorruptis mentibus, quæ se a vitiis, et ab omni labe terrena integras inviolatasque conservant. Hujus præmii cœlestis ac sempiterni participes esse non possunt, qui facinoribus, fraudibus, rapinis, circumscriptionibus conscientiam suam polluerunt, quique injuriis hominum, nefariis commissis, ineluibiles sibi maculas inusserunt. Proinde universos oportet, qui sapientes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia despicere, ut possint cum Deo beatissima necessitudine copulari.

Auferatur impietas, discordiæ; dissensionesque turbulentæ ac pestiferæ sopiantur, quibus humanæ societates, et publici fœderis divina conjunctio rumpitur, dirimitur, dissipatur : quantum possumus, boni ac benefici esse meditemur; si quid nobis opum, si quid suppetit copiarum, id non voluptati unius, sed multorum saluti impartiatur. Voluptas enim tam mortalis est quam corpus, cui exhibet ministerium. Justitia vero et beneficentia tam immortales quam mens et anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur. Sit nobis Deus non in templis, sed in corde nostro consecratus. Destructilia sunt omnia, quæ manu fiunt. Mundemus hoc templum, quod non fumo, non pulvere, sed malis cogitationibus sordidatur; quod non cereis ardentibus, sed claritate ac luce sapientiæ illuminatur. In quo si Deum semper crediderimus esse præsentem, cujus divinitati secreta mentis patent, ita vivemus, ut et propitium semper habeamus, et nunquam vereamur iratum.

LUCII CÆCILII FIRMIANI

LACTANTII

LIBER

AD DONATUM CONFESSOREM,

DE

MORTIBUS PERSECUTORUM [1].

I. Audivit Dominus [1] orationes tuas, Donate carissime, quas in conspectu ejus constanter fundis per dies omnes, et carissimorum fratrum, qui gloriosa confessione sempiternam sibi coronam pro fidei suæ meritis quæsierunt. Ecce addetur his omnibus adversarius; et restituta per orbem tranquillitate, profligata nuper Ecclesia rursum exurgit, et majore gloria templum Dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes, qui tyrannorum nefaria et cruenta imperia rescinderunt, humano generi providerunt; ut jam quasi discusso transacti temporis nubilo, mentes omnium pax jucunda et serena lætificet. Nunc post tantæ tempestatis violentos turbines, placidus aër et optata lux refulsit. Nunc placatus servorum suorum precibus, Deus jacentes et afflictos cœlesti auxilio sublevat. En nunc mœrentium lacrymas, extincta impiorum conspiratione, deterget; et qui illuctati erant Deo, jacent; qui templum sanctum everterant, ruina majori ceciderunt; qui justos excarnificaverunt, cœlestibus

[1] Ex eod. edit. Paris. (ann. 1797) tom. II, pag. 180 et seqq. — [2] Vide D. Guillon, tom. III, pag. 467 et seq.

plagis, et cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt; serius quidem, sed graviter ac digne. Distulerat enim pœnas eorum Deus, ut ederet in eos magna et mirabilia exempla, quibus posteri discerent, et Deum esse unum, et eumdem vindicem, digna videlicet supplicia impiis ac persecutoribus irrogare. De quorum exitu scripto testificari placuit, ut omnes qui procul amoti fuerunt, vel qui postea futuri sunt, scirent, quatenus virtutem ac majestatem suam in excindendis delendisque nominis sui hostibus Deus summus ostenderet. Hinc itaque utile est, si a principio ex quo est Ecclesia constituta, qui fuerint persecutores, et quibus pœnis in eos cœlestis judicis severitas vindicaverit, exponam.

II. Extremis temporibus Tiberii Cæsaris, ut scriptum legimus, Dominus noster Jesus Christus a Judæis cruciatus est, post diem decimum kalendarum aprilium, duobus geminis consulibus[1]: cum resurrexisset die tertio, congregavit discipulos, quos metus comprehensionis ejus in fugam verterat; et diebus quadraginta cum his commoratus, aperuit corda eorum, et Scripturas interpretatus est, quæ usque ad id tempus obscuræ atque involutæ fuerunt. Ordinavitque eos, et instruxit ad prædicationem dogmatis ac doctrinæ suæ disponens Testamenti novi solemnem disciplinam. Quo officio repleto, circumvolvit eum procella nubis, et subtractum oculis hominum rapuit in cœlum. Et inde discipuli, qui tunc erant undecim, assumptis in locum Judæ proditoris Matthia et Paulo[2], dispersi sunt per omnem terram[3], ad Evangelium prædicandum sicut illis magister Dominus imperaverat; et per annos XXV usque ad principium Neroniani imperii, per omnes provincias et civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit[4]; et editis quibusdam miraculis,

[1] *An.* 29, *vel potius an.* 33. — [2] Act. I, 26. — [3] Id. IX, 15. — [4] *An.* 54, *vel an.* 58.

quæ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem novam, damnata vetustate, transire; ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum cœleste templum, delendamque justitiam, et primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci affixit, et Paulum interfecit. Nec tamen habuit impune; respexit enim Deus vexationem populi sui. Dejectus itaque fastigio imperii [1], ac devolutus a summo tyrannus impotens, nusquam repente comparuit; ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret. Unde illum quidam deliri credunt esse translatum, ac vivum reservatum, Sibylla dicente matricidam profugum a finibus esse venturum; ut quia primus persecutus est, idem etiam novissimus persequatur, et Antichristi præcedat adventum [2]. Itaque fas est credere, sicut duos Prophetas vivos esse translatos in ultima tempora, atque initium Christi sanctum ac sempiternum, cum descendere cœperit, quod sibyllæ futurum prænuntiant : eodem modo etiam Neronem venturum putant, ut præcursor diaboli ac prævius sit venientis ad vastationem terræ, et humani generis eversionem.

III. Post hunc, interjectis aliquot annis, alter non minor tyrannus ortus est [3], qui cum exerceret injustam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit quam diutissime, tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum tenderet. Postquam vero ad persequendum justum populum instinctu dæmonum incitatus est [4], tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas [5]. Nec satis ad ultionem fuit, quod est interfectus : domi etiam memoria nominis ejus erasa est. Nam cum multa mirabilia opera fabricasset,

[1] *An.* 68. — [2] Sibyl. v, vr. — [3] *An.* 81. — [4] *An.* 64. — [5] *An.* 96.

cum Capitolium aliaque nobilia monumenta fecisset, Senatus ita nomen ejus persecutus est, ut neque imaginum, neque titulorum ejus relinqueret ulla vestigia, gravissimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam sempiternam. Rescissis igitur actis tyranni, non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit; secutisque temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in orientem occidentemque porrexit; ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset; nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu, ad justitiæ opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est.

IV. Extitit enim post annos plurimos execrabile animal Decius[1], qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam, nisi malus persequatur? Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet. Nam profectus adversus Carpos, qui tum Daciam Mœsiamque occupaverant, statimque circumventus a barbaris, et cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari[2]: sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.

V. Non multo post, Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit; et multum, quamvis brevi tempore justi sanguinis fudit[3]. At illum Deus novo ac singulari pœnæ genere affecit, ut esset posteris documentum, adversarios Dei semper dignam scelere suo recipere mercedem. Hic captus a Persis[4], non modo imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam cæteris ademerat, perdidit[5], vixitque in servitute tur-

[1] *An.* 249. — [2] *An.* 251. — [3] *An.* 253. — [4] *An.* 257. — [5] *An.* 261.

pissime. Nam rex Persarum Sapor, is qui eum ceperat, si quando libuerit aut vehiculum ascendere, aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat, ac terga præbere, et imposito pede supra dorsum ejus, illud esse verum dicebat [triumphi genus] exprobrans ei cum risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille dignissime triumphatus, aliquandiu vixit, ut diu barbaris romanum nomen ludibrio ac derisui esset. Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quod cum filium haberet imperatorem, captivitatis suæ tamen ac servitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus est. Postea vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit[1], direpta est ei cutis, et exuta visceribus pellis est infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque nostris semper esset ostentus, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cum exuvias capti Principis apud deos suos cernerent. Cum igitur tales pœnas de sacrilegis Deus exegerit, nonne mirabile est, ausum esse quemquam postea non modo facere, sed etiam cogitare adversus majestatem singularis Dei regentis et continentis universa?

VI. Aurelianus[2], qui esset natura vesanus et præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus et pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verum illi ne perficere quidem quæ cogitaverat, licuit: sed protinus inter initia sui furoris extinctus est[3]. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, et jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus. Talibus et tot exemplis coerceri posteriores tyrannos oportebat. At hi non modo territi non sunt, sed audacius etiam contra Deum confidentiusque fecerunt.

VII. Diocletianus[4], qui scelerum inventor et malorum

[1] *Forte an.* 269. — [2] *An.* 270. — [3] *An.* 274. — [4] *An.* 284.

machinator fuit, cum disperderet omnia, nec a Deo quidem manus potuit abstinere. Hic orbem terræ simul et avaritia, et timiditate subvertit. Tres enim participes regni sui fecit[1], in quatuor partes orbe diviso, et multiplicatis exercitibus, cum singuli eorum longe majorem numerum militum habere contenderunt, quam priores principes habuerant, cum soli rempublicam gererent. Adeo major esse cœperat numerus accipientium, quam dantium, ut enormitate indictionum consumptis viribus colonorum, desererentur agri, et culturæ verterentur in sylvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ, multi præsides et plura officia singulis regionibus, ac pene jam civitatibus incubare, item rationales multi, et magistri, et vicarii præfectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum et proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebræ, sed perpetuæ, et in exactionibus injuriæ non ferendæ. Nec quoque tolerari possunt, quæ ad exhibendos milites spectant. Idem insatiabili avaritia thesauros nunquam minui volebat: sed semper extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea quæ recondebat, integra atque inviolata servaret. Idem cum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua et vilia multus sanguis effusus, nec venale quidquam metu apparebat, et caritas multo deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa post multorum exitium solveretur. Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor provinciarum exactio in exhibendis operariis, et artificibus, et plaustris omnibus, quæcumque sint fabricandis operibus necessaria. Hic basilicæ, hic circus, hic moneta, hic armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiæ. Repente magna pars civitatis exceditur. Migrabant

[1] *An.* 285 *et* 293.

omnes cum conjugibus ac liberis, quasi urbe ab hostibus capta. Et cum perfecta hæc fuerant cum interitu provinciarum : Non recte facta sunt, aiebat; alio modo fiant. Rursus dirui ac mutari necesse erat, iterum fortasse casura. Ita semper dementabat, Nicomediam studens urbi Romæ coæquare. Jam illud prætereo, quam multi perierint possessionum aut opum gratia. Hoc enim usitatum et fere licitum consuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit præcipuum, quod ubicumque cultiorem agrum viderat, aut ornatius ædificium, jam parata domino calumnia et pœna capitalis, quasi non posset rapere aliena sine sanguine.

VIII. Quid frater ejus Maximianus[1], qui est dictus Herculius ? non dissimilis ab eo. Nec enim possent in amicitia tam fideli cohærere, nisi esset in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, æqua sententia. Hoc solum differebant, quod avaritia minori altero fuit plus, majori vero minus; sed plus timiditatis, plus vero animi, non ad bene faciendum, sed ad male. Nam cum ipsam imperii sedem teneret Italiam, subjacerentque opulentissimæ provinciæ, vel Africa, vel Hispania, non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat. Et cum opus esset, non deerant locupletissimi senatores, qui, subornatis indiciis, affectasse imperium dicerentur, ita ut effoderentur assidue lumina senatus. Cruentissimus fiscus male partis opibus affluebat. Jam libido in homine pestifero, non modo ad corrumpendos mares, quod est odiosum ac detestabile, verum etiam ad violandas primorum filias. Nam quacumque iter fecerat, avulsæ a conspectu parentum virgines, statim præsto. His rebus beatum se judicabat; his constare felicitatem imperii sui putabat, si libidini et cupiditati malæ nihil denegaret.

Constantium prætereo, quoniam dissimilis cæterorum fuit, dignusque qui solus orbem teneret.

[1] *An.* 293.

IX. Alter vero Maximianus, quem sibi generum Diocletianus asciverat, non his duobus tantum, quos tempora nostra senserunt, sed omnibus qui fuerunt, malis pejor. Inerat huic bestiæ naturalis barbaries, et feritas a Romano sanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus Transdanuviana, infestantibus Carpis, in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, status celsus, caro ingens, et in horrendam magnitudinem diffusa et inflata. Denique et verbis, et actibus, et aspectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque eum metuebat acerrime. Cujus timoris hæc fuit causa. Narseus, rex Persarum, concitatus domesticis exemplis avi sui Saporis, ad occupandum orientem cum magnis copiis inhiabat.

Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticulosus, animique disjectus, simul et exemplum Valeriani timens, non ausus est obviam tendere: sed hunc per Armeniam misit, ipse in Oriente subsistens et aucupans exitus rerum. Ille insidiis suis barbaros, quibus mos est cum omnibus suis ad bellum pergere, multitudine impeditos, et sarcinis occupatos non difficiliter oppressit; fugatoque Narseo rege, reversus cum præda et manubiis ingentibus, sibi attulit superbiam, Diocletiano timorem. In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est, ut jam detrectaret Cæsaris nomen. Quod cum in litteris ad se datis audisset, truci vultu ac voce terribili exclamabat: Quousque Cæsar? Exinde insolentissime agere cœpit, ut ex Marte se procreatum, et videri, et dici vellet, tanquam alterum Romulum; maluitque Romulam matrem stupro infamare, ut ipse diis oriundus videretur. Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora. Postea enim quam nomen imperatoris accepit, exuto socero, tum demum furere cœpit, et contemnere omnia. Diocles [sic] enim ante imperium vocabatur; cum rempu-

* Am 2011

blicam talibus consiliis et talibus sociis everteret, cum pro sceleribus suis nihil non mereretur, tamdiu tamen summa felicitate regnavit, quamdiu manus suas justorum sanguine non inquinaret. Quam vero causam persequendi habuerit, exponam.

X. Cum ageret in partibus Orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, et in jecoribus earum ventura quærebat. Tum quidam ministrorum scientes Dominum, cum assisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto, fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant; et quasi non litassent, sæpius immolabant. Verum identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tagis, seu suspicione, seu visu, ait idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furoris sacrificare non eos tantum, qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio jussit, et in eos, si detrectassent, verberibus animadverti; datisque ad præpositos litteris etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, ut qui non paruissent, militia solverentur. Hactenus furor ejus et ira processit, nec amplius quidquam contra legem aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquando tempore, in Bithyniam venit hyematum; eodemque tum Maximianus quoque Cæsar inflammatus scelere advenit[1], ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc causam fuisse cognovi.

XI. Erat mater ejus deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. Quæ cum esset, dapibus sacrificabat pene quotidie, ac vicariis suis epulis exhibebat. Christiani abstinebant; et illa cum Gentibus epulante, jejuniis

[1] *An.* 302.

hi et orationibus insistebant. Hinc concepit odium adversus eos, ac filium suum non minus superstitiosum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter se per totam hyemem consilio, cum nemo admitteretur, et omnes de summo statu reipublicæ tractari arbitrarentur, diu senex furori ejus repugnavit, ostendens quam perniciosum esset inquietari orbem terræ, fundi sanguinem multorum; illos libenter mori solere, satis esse si palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit præcipitis hominis insaniam. Placuit ergo amicorum sententiam experiri. Nam erat hujus malitiæ, cum bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur. Cum autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat, ut aliorum culpæ ascriberetur quidquid ipse deliquerat. Admissi ergo judices pauci, et pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversus Christianos odio, inimicos deorum et hostes religionum publicarum tollendos esse censuerunt; et qui aliter sentiebant, intellecta hominis voluntate, vel timentes, vel gratificari volentes, in eamdem sententiam congruerunt. Nec sic quidem flexus est imperator, ut accommodaret assensum : sed Deos potissimum consulere statuit, misitque aruspicem ad Apollinem Milesium. Respondit ille ut divinæ religionis inimicus. Traductus est itaque a proposito. Et quoniam nec amicis, nec Cæsari, nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus est, ut eam rem sine sanguine transigi juberet, cum Cæsar vivos cremari vellet, qui sacrificio repugnassent.

XII. Inquiritur peragendæ rei dies aptus et felix[1]; ac potissimum terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum kalendas martias, ut quasi terminus imponeretur huic religioni.

[1] *An.* 303, 23 *febr.*

Ille dies primus lethi, primusque malorum
Causa fuit [1];

quæ et ipsis, et orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxisset, agentibus Consulatum senibus ambobus octavum et septimum, repente adhuc dubia luce ad Ecclesiam præfectus cum ducibus, et tribunis, et rationalibus venit; et revulsis foribus, simulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi vero in speculis (in alto enim constituta Ecclesia ex palatio videbatur) diu inter se concertabant, utrum ignem potius supponi oporteret. Vicit sententia Diocletianus, cavens ne magno incendio facto, pars aliqua civitatis arderet. Nam multæ ac magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur prætoriani acie structa, cum securibus et aliis ferramentis [2], et immissi undique, fanum illud editissimum paucis horis solo adæquarunt.

XIII. Postridie propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent, ex quocumque ordine aut gradu venirent, adversus eos omnis actio caleret; ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non recte, magno tamen animo diripuit et conscidit, cum irridens diceret, victorias Gothorum et Sarmatarum propositas. Statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coctus, cum admirabili patientia postremo exustus est.

XIV. Sed Cæsar non contentus est edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris

[1] Virgil., Æn. IV, 160.

palatio subjecit incendium. Et cum pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur, velut hostes publici, et cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat : illos, consilio cum eunuchis habito, de extinguendis principibus cogitasse, duos imperatores domi suæ pene vivos esse combustos. Diocletianus vero, qui semper se volebat videri astutum et intelligentem, nihil potuit suspicari : sed ira inflammatus, excarnificare omnes suos protinus cœpit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item judices universi, omnes denique, qui erant in palatio magistri, data potestate, torquebantur. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. Nihil usquam repericbatur; quippe cum familiam Cæsaris nemo torqueret. Aderat ipse, et instabat, nec patiebatur iram inconsiderati senis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis, aliud rursum incendium molitus est. Id celerius animadversum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæsar medio hyemis profectione parata prorupit, eodem die contestans, fugere se, ne vivus arderet.

XV. Furebat ergo imperator jam non in domesticos tantum, sed in omnes, et primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam sacrificio pollui coegit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium et ipse ante constabat. Comprehensi presbyteri ac ministri, et sine ulla probatione ac confessione damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus et ætatis homines ad exustionem rapti : nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circumdato igni amburebantur; domestici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur. Nec minus in cæterum populum persecutio violenter incubuit. Nam judices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur; et ne cui temere jus diceretur, aræ in secretariis

ac pro tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent; sic ergo ad judices, tanquam ad deos adiretur. Etiam litteræ ad Maximianum atque Constantium commeaverant, ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Constantius, ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est : verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.

XVI. Vexabatur ergo universa terra, et præter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant.

> Non mihi si linguæ centum sint oraque centum,
> Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
> Omnia pœnarum percurrere nomina possim,

quas Judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt. Verum quid opus est illa narrare, præcipue tibi, Donate carissime, qui præter cæteros tempestatem turbidæ persecutionis expertus es? Nam cum incidisses in Flaccinum præfectum, non pusillum homicidam, deinde in Hieroclem ex vicario præsidem, qui auctor et consiliarius ad faciendam persecutionem fuit, postremo in Priscillianum successorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuisti. Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa confessione vicisti. Novem præliis zabulum cum satellitibus suis debellasti : novem victoriis sæculum cum suis terroribus triumphasti.

Quam jocundum illud spectaculum Deo fuit, cum victorem te cerneret, non candidos equos, aut immanes elephantos, sed ipsos potissimum triumphatores currui tuo subjugantem? Hic est verus triumphus, cum dominatores

dominantur. Victi enim tua virtute ac subjugati sunt; quandoquidem nefanda jussione contempta, omnes apparatus ac terriculas tyrannicæ potestatis fide stabili et robore animi profligasti. Nihil adversus te verbera, nihil ungulæ, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit. Hoc est esse discipulum Dei : hoc est militem Christi, quem nullus hostis expugnet, nullus lupus de castris cœlestibus rapiat, nullus laqueus inducat, nullus dolor vincat, nullus cruciatus affligat. Denique post illas novem gloriosissimas pugnas, quibus a te zabulus victus est, non est ausus ulterius congredi tecum, quem tot præliis expertus est non posse superari. Et cum tibi parata esset victrix corona, desiit amplius provocare, ne jam sumeres. Quam licet non acceperis in præsenti, tamen integra tibi pro virtutibus tuis et meritis in regno Domini reservatur. Sed redeamus ad ordinem rerum.

XVII. Hoc igitur scelere perpetrato, Diocletiani cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret[1], qui erat futurus ad XII Kalendas decembres. Quibus solemnibus celebratis, cum libertatem populi romani ferre non poterat, impatiens, et æger animi, prorupit ex urbe impendentibus kalendis januariis, quibus illi nonus consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius quam Ravennæ procederet consul. Sed profectus hyeme, sæviente frigore atque imbribus verberatus, morbum levem, at perpetuum traxit, vexatusque per omne iter, lectica plurimum vehebatur. Sic æstate transacta, per circuitum ripæ Istricæ Nicomediam venit, morbo jam gravi insurgente[2]. Quo cum que se premi videret, prolatus est tamen, ut circum, quem fecerat, dedicaret anno post vicennalia repleto; deinde ita

[1] *An.* 303. — [2] *An.* 304.

languore oppressus, ut per omnes deos pro vita ejus rogaretur, donec idibus decembribus[1] luctus repente in palatio, mœstitia et lacrymæ, judicum trepidatio, et silentium. Tota civitate jam non modo mortuum, sed etiam sepultum dicebant, cum repente mane postridie pervagari fama quod viveret, domesticorum ac judicum vultus alacritate mutari. Non defuerunt qui suspicarentur celari mortem ejus, donec Cæsar veniret, ne quid forte a militibus novaretur. Quæ suspicio tantum valuit, ut nemo crederet eum vivere, nisi kalendis martiis[2] prodisset, vix agnoscendus, quippe qui anno fere toto ægritudine tabuisset. Et ille idibus decembribus sopitus animam receperat, nec tamen totam. Demens enim factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.

XVIII. Nec multis post diebus Cæsar advenit, non ut patri gratularetur, sed ut eum cogeret imperio cedere. Jam conflixerat nuper [cum] Maximiano sene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est ergo Diocletianum, primum molliter et amice, jam senem esse dicens, jam minus validum, et administrandæ reipublicæ inhabilem, debere illum requiescere post labores. Simul et exemplum Nervæ proferebat, qui imperium Trajano tradidisset. Ille vero aiebat, et indecens esse, si post tantam sublimis fastigii claritatem in humilis vitæ tenebras decidisset, et minus tutum, quod in tam longo imperio multorum sibi odia quæsisset. Nervam vero uno anno imperantem, cum pondus et curam tantarum rerum vel ætate, vel insolentia, ferre non quiret, abjecisse gubernaculum reipublicæ, atque ad privatam vitam redisse, in qua consenuerat. Verum si nomen imperatoris cuperet adipisci, impedimento nihil esse, quominus omnes Augusti nuncuparentur. At ille, qui orbem totum jam spe invaserat, cum sibi aut nihil

[1] *An.* 304. — [2] *An.* 305.

præter nomen, aut non multum videbat accedere, respondit debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari, ut duo sint in republica majores, qui summam rerum teneant; item duo minores, qui sint adjumento : inter duos facile posse concordiam servari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor et extremus esset. Jam fluxisse annos quindecim, in Illyricum, id est, ad ripam Danubii relegatus, cum gentibus barbaris luctaretur, cum alii intra laxiores et quietiores terras delicate imperarent.

His auditis, senex languidus, qui jam et Maximiani senis litteras acceperat, scribentis quæcumque locutus fuisset, et didicerat augeri ab eo exercitum, lacrymabundus :

Diocletianus. Fiat, inquit, si hoc placet. Supererat ut, communi consilio omnium Cæsares legerentur.

Galerius. Quid opus est consilio, cum sit necesse illis duobus placere quidquid nos fecerimus?

Diocletianus. Ita plane. Nam illorum filios nuncupari necesse est.

Erat autem Maximiano [filius] Maxentius, hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosæ ac malæ mentis, adeo superbus et contumax, ut neque patrem, neque socerum solitus sit adorare. Et idcirco utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat Constantinus, sanctissimus adolescens, et illo fastigio dignissimus, qui insigni et decoro habitu corporis, et industria militari, et probis moribus, et comitate singulari, a militibus amaretur, a privatis et optaretur. Eratque tunc præsens, jampridem a Diocletiano factus tribunus ordinis primi.

Diocletianus. Quid ergo fiet?

Galerius. Ille, inquit, dignus non est. Qui enim me privatus contempsit, quid faciet, cum imperium acceperit?

Diocletianus. Ilic vero et amabilis est, et ita imperaturus, ut patre suo melior et clementior judicetur.

Galerius. Ita fiet, ut ego non possim facere quæ velim. Eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant, nisi meo jussu.

Diocletianus. Quos ergo faciemus?

Galerius. Severum, inquit.

Diocletianus. Illumne saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox pro die, et dies pro nocte?

Galerius. Dignus, inquit, quoniam militibus fideliter præbuit, et eum nisi ad Maximianum, ut ab eo induatur.

Diocletianus. Esto. Alterum quem dabis?

Galerius. Hunc, inquit, ostendens Daiam adolescentem quemdam semibarbarum, quem recens jusserat Maximianum vocari de suo nomine. Jam et ipsi Diocletianus nomen ex parte mutaverat ominis causa, quia Maximianus fidem summa religione præstabat.

Diocletianus. Quis est hic, quem mihi offers?

Galerius. Meus, inquit, affinis.

Diocletianus. At ille gemebundus: Non idoneos homines mihi das, quibus tutela reipublicæ committi possit.

Galerius. Probavi eos, inquit.

Diocletianus. Tu videris, qui regimen imperii susceptus es. Ego satis laboravi, et providi quemadmodum, me imperante, respublica staret incolumis. Si quid accesserit adversi, mea culpa non erit.

XIX. Cum hæc essent constituta, procedit kalendis maiis[1]. Constantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, et priores militum electi, et acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant, et vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem ad millia fere tria, in cujus summo Maximianus ipse purpu-

[1] *An.* 305.

ram sumpserat; et ibi columna fuerat erecta cum Jovis signo. Eo pergitur. Concio militum convocatur. Inquit senex cum lacrymis, alloquitur milites : se invalidum esse, requiem post labores petere, imperium validioribus tradere, alios cæsares subrogare. Summa omnium expectatio quid afferret. Tunc repente pronuntiat Severum et Maximinum cæsares. Obstupefiunt omnes in tribunali. Constantinus astabat susum : hæsitare inter se, num Constantini immutatatum nomen esset, cum in conspectu omnium Maximianus manum retrorsum et extendens, protraxit a tergo Daiam, Constantino repulso, exutum vestem privatam, constituit in medium. Mirari omnes qui esset, unde esset. Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperatæ novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus injecit suam, qua se exuit, et Diocles iterum factus est. Tum descenditur; et rheda per civitatem veteranus rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daia vero sublatus nuper a pecoribus et silvis, statim scutarius, continuo protector, mox tribunus, postridie cæsar, accepit Orientem calcandum et conterendum; quippe qui neque militiam, neque rempublicam sciret, jam non pecorum, sed militum pastor.

XX. Maximianus, postquam senibus expulsis, quod voluit et fecit, se jam solum totius orbis dominum esse rebatur. Nam Constantium, quamvis priorem nominari esset necesse, contemnebat, quod et natura mitis esset, et valitudine corporis impeditus. Hunc sperabat brevi obiturum; et si non obisset, vel invitum exuere facile videbatur. Quid enim faceret, si a tribus cogeretur imperium deponere? Habebat ipse Licinium veteris contubernii amicum, et a prima militia familiarem, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum cæsarem facere noluit, ne filium nominaret, vel ut postea in Constantii locum nuncuparet Augustum atque fratrem; tunc vero ipse principatum teneret, ac

pro arbitrio suo debacchatus in orbem terræ, vicennalia celebraret, ac substituto cæsare filio suo, qui tunc erat novennis, et ipse deponeret : ita cum imperii summam tenerent Licinius ac Severus, et secundum cæsarum nomen Maximinus et Candidianus, inexpugnabili muro circumseptus securam et tranquillam degeret senectutem. Hoc consilia eis ostendebant. Sed Deus, quem sibi fecit infestum, cuncta illius cogitata dissolvit.

XXI. Adeptus igitur maximam potestatem, ad vexandum orbem, quem sibi patefecerat, animum intendit. Nam post devictos Persas, quorum hic ritus, hic mos est, ut Regibus suis in servitium se addicant, et Reges populo suo tanquam familia utantur, hunc morem nefarius homo in Romanam terram voluit inducere, quem ex illo tempore victoriæ sine pudore laudabat. Et quia id aperte jubere non poterat, sic agebat, ut et ipse libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo non Decuriones modo, sed Primores etiam civitatum, egregii ac perfectissimi viri, et quidem in causis levibus atque civilibus. Si morte digni viderentur, cruces stabant; sin minus, compedes parati. Matresfamilias ingenuæ ac nobiles in gynæceum rapiebantur. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quatuor stabant, ad quos nullus unquam servus distendi solebat. Quid lusorium, vel delicias ejus referam? Habebat ursos ferociæ ac magnitudinis suæ simillimos, quos toto imperii sui tempore elegerat. Quoties delectari libuerat, horum aliquem afferri nominatim jubebat. His homines non plane comedendi, sed obsorbendi objectabantur : quorum artus cum dissiparentur, ridebat suavissime; nec unquam sine humano cruore cœnabat. Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit; et hæc ille primo adversus Christianos permiserat, datis legibus, ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Qui cum deligati fuissent, subde-

batur primo pedibus lenis flamma tandiu, donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces et extinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, et os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus, cito spiritus redderetur; quod postremo accidebat, cum per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur corpora jam cremata; lecta ossa, et in pulverem comminuta, jactabantur in flumine ac mare.

XXII. Quæ igitur in Christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat. Nulla pœna penes eum levis: non insulæ, non carceres, non metalla; sed ignis, crux, feræ, in illo erant quotidiana et facilia. Domestici et administratores lancea emendabantur. In curia pœna capitis et animadversio gladii admodum paucis quasi beneficium deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Jam illa huic levia fuerant. Eloquentia extincta, causidici sublati, jureconsulti aut relegati, aut necati. Litteræ autem inter malas artes habitæ; et qui eas noverant, pro inimicis hostibusque protriti et execrati. Licentia rerum omnium, solutis legibus, assumpta et judicibus data. Judices militares, humanitatis litterarum rudes, sine assessoribus in provincias immissi.

XXIII. At vero illud publicæ calamitatis et communis luctus omnium fuit, census in provincias et civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis, et omnia exagitantibus, hostilis tumultus, et captivitatis horrendæ species erant. Agri glebatim metiebantur, vites et arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanæ ac rusticæ plebes adunatæ, fora omnia gregibus familiarum referta; unusquisque cum liberis, cum servis aderant: tormenta ac verbera persona-

bant, filii adversus parentes suspendebantur, fidelissimi quique servi contra dominos vexabantur, uxores adversus maritos. Si omnia defecerant, ipsi contra se torquebantur; et cum dolor vicerat, ascribebantur quæ non habebantur. Nulla ætatis, valitudinis excusatio. Ægri et debiles deferebantur, æstimabantur ætates singulorum : parvulis adjiciebantur anni, senibus detrahebantur. Luctu et mœstitia plena omnia. Quæ veteres adversus victos jure belli fecerant, hæc ille adversus Romanos Romanisque subjectos facere ausus est ; quia parentes ejus censui subjugati fuerant, quem Trajanus Daciis assidue rebellantibus pœnæ gratia victor imposuit. Post hoc, pecuniæ pro capitibus pendebantur, et merces pro vita dabatur. Non tamen hisdem censitoribus fides habebatur : sed alii super alios mittebantur, tanquam plura inventuri. Et duplicabatur semper, illis non invenientibus, sed ut libuit addentibus, ne frustra missi viderentur. Interea minuebantur animalia, et mortales obibant, et nihil minus solvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam, nec mori saltem gratis liceret. Mendici supererant soli, a quibus nihil exigi possit, quos ab omni genere injuriæ tutos miseria et infelicitas fecerat. Atqui homo impius misertus est illis, ut non egerent. Congregari jussit, et exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem misericordem, qui providerit ne quis, illo imperante, miser esset. Ita, dum cavit, nequis simulatione mendicitatis censum subterfugiat, multitudinem virorum miserorum contra omne jus humanitatis occidit.

XXIV. Jam propinquavit illi judicium Dei, secutumque tempus est, quo res ejus dilabi ac fluere cœperunt. Nondum animum intenderat ad evertendum pellendumve Constantium. Dum est occupatus his rebus, quas superius exposui, et expectabat obitum ejus : sed tam celeriter non putabat obiturum. Qui cum graviter laboraret, miserat litteras, ut

filium suum Constantinum remitteret sibi videndum, et quidem jamdudum. Ille vero nihil minus volebat. Nam et in insidiis sæpe juvenem appetiverat; quia palam nihil audebat, ne contra se arma civilia, et, quod maxime verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitii ac lusus feris illum objecerat: sed frustra; quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipso cardine. Namque sæpius cum jamdiu necare non posset, dedit illi sigillum, inclinante jam die, præcepitque ut postridie mane, acceptis mandatis, proficisceretur, vel ipse illum occasione aliqua retentaturus, vel præmissurus litteras, ut a Severo teneretur. Quæ cum ille prospiceret, quiescente jam imperatore, post cœnam properavit exire, sublatisque per mansiones multas omnibus equis publicis, evolavit. Postridie Imperator, cum consulto ad medium diem usque dormisset, vocari eum jubet. Dicitur ei post cœnam statim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poscebat equos publicos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei cursus publicus nuntiatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate usus, pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei, militibus commendato, imperium per manus tradidit; atque ita in lecto suo requiem vitæ, sicut optabat, accepit. Suscepto Imperio, Constantinus Augustus nihil egit prius, quam Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio sanctæ religionis restitutæ.

XXV. Paucis post diebus, laureata imago ejus allata est ad malam bestiam. Deliberavit diu an susciperet. In eo pene res fuit, ut illam, et ipsum qui attulerat, exureret; nisi eum amici ab illo furore flexissent, admonentes eum periculi, quod universi milites, quibus invitis, ignoti cæsares erant facti, susceperi Constantinum fuissent, atque ad eum concursuri alacritate summa, si venisset armatus. Suscepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipsi

purpuram misit, ut ultro ascivisse illum in societatem videretur. Jam turbatæ rationes ejus fuerant, nec poterat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum vero non Imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.

XXVI. Compositæ ei res quodam modo jam videbantur, cum subito illi alius terror allatus est, generum ipsius Maxentium Romæ factum Imperatorem. Cujus motus hæc fuit causa. Cum statuisset censibus institutis orbem terræ devorare, ad hanc usque prosiluit insaniam, ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam censitores, qui Romam missi describerent plebem. Eodem fere tempore castra quoque prætoria sustulerat. Itaque milites pauci, qui Romæ in castris relicti erant, opportunitatem nacti, occisis quibusdam judicibus, non invito populo, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant. Quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus est, nec tamen nimium territus. Et oderat hominem, et tres Cæsares facere non poterat. Satis visum est semel fecisse quod noluit. Severum arcessit, et hortatus ad recipiendum imperium, mittit cum cum exercitu Maximiani ad expugnandum Maxentium; et mittit Romam, in qua milites illi summis deliciis sæpissime excepti, non modo salvam esse illam urbem, sed ibi vivere optarent. Maxentius tanti facinoris sibi conscius, licet jure hæreditatis paternos milites traducere ad se posset, cogitans tamen fieri posse, ut Maximianus socer idipsum metuens Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret, quærebat quatenus se a periculo impendente muniret. Patri suo post depositum imperium in Campania moranti purpuram mittit, et his Augustum nominat. Ille

vero et rerum novarum cupidus, et qui deposuerat invitus, libenter aripuit. Severus interim vadit, et ad muros Urbis armatus accedit. Statim milites, sublatis signis, abeunt, et se contra quem venerant, tradunt. Quid restabat deserto, nisi fuga? Sed occurrebat jam resumpto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique se cum paucis militibus inclusit. Qui cum videret futurum, ut Maximiano traderetur, dedit sese ipse, vestemque purpuream eidem, a quo acceperat, reddidit. Quo facto, nihil aliud impetravit, nisi bonam mortem. Nam venis ejus incisis, leniter mori coactus est. Ab hoc cœpit suos persequi.

XXVII. Herculius vero cum Maximiani nosset insaniam, cogitare cœpit illum, audita nece Severi, inflammatum ira, cum exercitu esse venturum, et fortasse adjuncto Maximino, ac duplicatis copiis, quibus resisti nullo modo posset: Urbe munita, et rebus cœptis inimicis diligenter instructis, proficiscitur in Galliam, ut Constantinum partibus suis conciliaret, suæ minoris filiæ nuptiis. Ille interea, coacto exercitu, invadit Italiam, ad Urbem accedit, Senatum extincturus, populum trucidaturus. Verum clausa et munita omnia offendit. Nulla erat spes irrumpendi: oppugnatio difficilis; ad circumsedendum mœnia non satis copiarum, quippe qui nunquam viderat Romam, æstimaretque illam non multo esse majorem, quam quas noverat civitates. Tunc quædam legiones detestantes scelus, quod socer generum oppugnaret, et quod Romani milites Romam, translatis signis, imperium reliquerunt. Et jam cæteri milites nutabant, cum ille, fracta superbia, dimissisque animis, et Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat, ne hosti traderetur, donec promissis ingentibus flexit animos quorumdam, et retro signa convertit, ac fugam trepidus capessivit; in qua opprimi facillime potuit, si cum paucis quispiam sequeretur. Quod cum timeret, dedit militi-

bus potestatem, ut dispersi quam latissime diriperent omnia, vel corrumperent; ut si quis insequi voluisset, utensilia non haberet. Vastata est igitur ea pars Italiæ, quo pestiferum illud agmen incessit: expilata omnia, mulieres corruptæ, virgines violatæ, extorti parentes et mariti, ut filias, ut conjuges, ut opes suas proderent. Abactæ tanquam de barbaris prædæ pecorum ac jumentorum. Hoc modo se ad sedes suas recepit, cum Romanus quondam Imperator, nunc populator Italiæ, hostiliter universa vexasset. Olim quidem ille, ut nomen Imperatoris acceperat, hostem se Romani nominis erat professus, cujus titulum immutari volebat; ut non Romanum imperium, sed Daciscum cognominaretur.

XXVIII. Post hujus fugam, cum se Maximianus alter e Gallia recepisset, habebat imperium commune cum filio. Sed juveni magis parebatur quam seni, quippe cum prior et major filii potestas esset, qui etiam patri reddiderat imperium. Ferebat iniquo animo senex, quod non posset libere facere quod vellet, et filio suo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adolescentem, ut sibi sua vindicaret. Quod facile videbatur, quia milites erant [sui], qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites, quasi concionem de præsentibus reipublicæ malis habiturus. De quibus cum multa dixisset, convertit ad filium manus; et illum esse dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum, quas respublica sustineret, diripuit ab humeris ejus purpuram. Exutus ille præcipitem se de tribunali dedit, et a militibus exceptus est. Quorum ira et clamore perturbatus est senex impius, et ab urbe Roma tanquam Superbus alter, exactus est.

XXIX. Rediens rursus in Gallias, ubi aliquantum moratus est, profectus ad hostem filii sui Maximianum, quasi ut de componendo Reipublicæ statu et cum eo disputaret; re

autem vera ut illum per occasionem reconciliationis occideret, ac regnum ejus teneret, exclusus a suo, quocumque venisset. Aderat ibi Diocles, a genero nuper accitus, ut quod ante non fecerat, præsente illo imperium Licinio daret, substituto in Severi loco. Itaque fit utroque præsente. Sic uno tempore sex fuerunt. Quare impeditis consiliis senex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur : redit in Galliam plenus malæ cogitationis ac sceleris, ut Constantinum imperatorem generum suum, generi filium, dolo malo circumveniret, et ut posset fallere, deponit regiam vestem. Francorum gens in armis erat. Persuadet nihil suspicanti, ne omnem secum exercitum duceret, paucis militibus posse barbaros debellari; ut et ipse haberet exercitum, quem occuparet, et ille opprimi posset ob militum paucitatem. Credit adolescens, ut perito ac seni; paret, ut socero : proficiscitur, relicta militum parte majore. Ille, paucis diebus expectatis, cum jam Constantinum æstimaret intrasse fines barbarorum, repente purpuram sumit, thesauros invadit, donat, ut solet, large; fingit de Constantino, quæ in ipsum protinus reciderunt. Imperatori propere quæ gesta sunt, nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviso, nondum satis instructus; milites ad imperatorem suum redeunt. Occupaverat Massiliam, et portas obseraverat. Accedit proprius Imperator; et in muro adstantem alloquitur, non aspere, nec hostiliter : sed rogat quid sibi voluisset, quid ei defuisset, cur faceret quod ipsum præcipue non deceret. Ille vero ingerebat maledicta de muris. Tum subito a tergo ejus portæ reserantur, milites recipiuntur. Attrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, socer perfidus. Audit scelera quæ fecit, detrahitur ei vestis, et increpito vita donatur.

XXX. Sic amisso imperatoris ac soceri honore, humili-

tatis impatiens, alias rursus insidias machinatus est. Quia semel habuit impune, vocat filiam Faustam, eamque nunc precibus, nunc blandimentis sollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur, petit cubiculum patens relinqui, et negligentius custodiri sinat. Pollicetur illa facturam, et refert protinus ad maritum. Componitur scena, qua manifesto facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempesta: videt omnia insidiis opportuna. Rari excubitores erant, et ii quidem longius; quibus tamen dicit vidisse somnium, quod filio suo narrare vellet. Ingreditur armatus, et spadone obtruncato, prosiliit gloriabundus, ac profitetur quod admiserit. Repente se ex altera parte Constantinus ostendit cum globo armatorum. Profertur e cubiculo cadaver occisi: hæret manifestarius homicida, et mutus stupet.

Quasi dura silex, aut stet Marpesia cautes;

impietatis ac sceleris increpatur. Postremo datur ei potestas liberæ mortis;

Ac nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Ita ille Romani nominis maximus imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria vigenti annorum vota celebravit, eliso et fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi et ignominiosa morte finivit.

XXXI. Ab hoc Deus, religionis ac populi sui vindex, oculos ad Maximianum alterum transtulit, nefandæ persecutionis auctorem, ut in eo etiam virtutem majestatis ostenderet. Jam de agendis et ipse vicennalibus cogitabat; et ut qui jamdudum provincias afflixerat auri argentique indictionibus factis, quæ promiserat redderet, etiam in nomine vicennalium securem alteram afflixit. Qua vexatione generis humani exactio celebrata sit, maxime rei annonariæ, ecquis

enarrare digne potest? Officiorum omnium milites, vel potius carnifices, singulis adhærebant, cui prius satisfieret, incertum : venia non habentibus nulla; sustinendi multiplices cruciatus, nisi exhiberetur statim, quod non erat : multis custodiis circumsepto nulla respirandi facultas; nullo tempore anni vel exigua requies; frequens super iisdem hominibus, vel ipsis judicibus, vel militibus judicum pugna : nulla area sine exactore, nulla vindemia sine custode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quæ quamquam intolerabilia sint, eripi ab ore hominum cibos labore quæsitos, tamen sustentabile aliquo modo vel spe futurorum. Quid vestis omnis generis? quid aurum? quid argentum? Nonne hæc necesse est ex venditis fructibus comparari? Unde igitur hoc, o dementissime tyranne, præstabo, cum omnes fructus auferas, universa nascentia violenter eripias? Quis ergo non bonis suis eversus est, ut opes, quæ sub imperio ejus fuerunt, corraderentur ad votum, quod non erat celebraturus.

XXXII. Nuncupato igitur Licinio imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari volebat. Mittit ergo ad eum sæpe legatos : orat sibi pareat, dispositionem suam servet, cedat ætati, et honorem deferat canis. At ille tollit audacius cornua, et præscriptione temporis pugnat se priorem esse debere, qui prior sumpserit purpuram; preces ejus et mandata contemnit. Dolet bestia, et mugit, quod cum ideo ignobilem fecisset Cæsarem, ut sibi obsequens esset, is tamen tanti beneficii sui oblitus, voluntati ac precibus suis impie repugnaret. Victus contumacia, tollit Cæsarum nomen, et se Liciniumque Augustos appellat, Maxentium et Constantinum filios Augustorum. Maximinus postmodum scribit, quasi nuntians in campo Martio proxime celebrato Augustum se ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mœstus ac dolens, et universos quatuor imperatores jubet numerari.

XXXIII. Jam decimus et octavus annus agebatur, cum percussit eum Deus insanabili plaga. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latius. Medici secant, curant. Sed inductam jam cicatricem scindit vulnus, et rupta vena, fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis motione vulneratur; plus sanguinis quam ante decurrit. Albescit ipse, atque absumptis viribus tenuatur; et tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam: proxima quæque cancer invadit, et quanto magis circum secatur, latius sævit, quanto curatur, increscit.

. . . . . Cessere magistri
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Undique medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent. Confugitur ad idola. Apollo et Asclepius orantur; remedium flagitatur. Dat Apollo curam. Malum multo pejus augetur. Jam non longe pernicies aberat, et inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus viscera, et in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare. Repercussis medullis, malum recidit introrsus, et interna comprehendit; vermes intus creantur. Odor it autem non modo per palatium, sed totam civitatem pervadit. Nec mirum, cum jam confusi essent exitus stercoris et urinæ. Comestum a vermibus et in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur.

Clamores simul horrendos ad sidera tollit,
Quales mugitus fingit saucius taurus.

Apponebantur ad sedem fluentem cocta et calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis resolutis, inæstimabile

scatebat examen; et tamen multo majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies fœcunda generaverat. Jam diverso malo partes corporis amiserant speciem. Superior usque ad vulnus aruerat, et miserabili macie cutis lurida longe inter ossa consederat. Inferior sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat. Et hæc facta sunt per annum perpetem; cum tandem malis domitus Deum coactus est confiteri : novi doloris urgentis per intervalla exclamat, se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens edictum misit hujusmodi:

EDICTUM GALERII [1].

XXXIV. «Inter cætera quæ pro reipublicæ semper commodis atque utilitate disponimus, nos quidem volueramus antehac, juxta leges veteres et publicam disciplinam, Romanorum cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem eadem ratione tanta eosdem christianos voluntas invasisset, et tanta stultitia occupasset, ut non illa veterum instituta sequerentur, quæ forsitan primum parentes eorumdem constituerant : sed pro arbitrio suo, atque ut hisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent, quas observarent, et per diversa varios populos congregarent. Denique cum ejusmodi nostra jussio extitisset, ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt; atque cum plurimi in proposito perseverarent, ac videremus nec diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec christianorum Deum observare, contemplatione mitissimæ nostræ clementiæ intuentes et consuetudinem sempiternam, qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his

[1] *An.* 311.

quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam; ut denuo sint christiani, et conventicula sua componant, ita ut ne quid contra disciplinam agant. Alia autem epistola judicibus significaturi sumus, quid debent observare. Unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra, et reipublicæ, ac sua, ut undique-versum respublica perstet incolumis, et securi vivere in sedibus suis possint. »

XXXV. Hoc edictum proponitur Nicomediæ pridie kalendas maias, ipso octies, et Maximino iterum consulibus. Tunc apertis carceribus, Donate carissime, cum cæteris confessoribus e custodia liberatus es, cum tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit. Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit a Deo: sed post dies paucos, commendatis Licinio conjuge sua et filio, atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe consumptus est. Idque cognitum Nicomediæ id. mensis ejusdem, cum futura essent vicennalia kalendis martiis impendentibus.

XXXVI. Quo nuntio Maximinus audito, dispositis ab Oriente cursibus pervolavit, ut provincias occuparet, ac Licinio morante, omnia sibi usque ad fretum chalcedonium vindicaret. Ingressusque Bithyniam, quo sibi ad præsens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia sustollit censum. Discordia inter ambos imperatores, ac pene bellum. Diversas ripas armati tenebant. Sed conditionibus certis pax et amicitia componitur, et in ipso freto fœdus fit, ac dexteræ copulantur. Redit ille, securus, et fit qualis in Syria et in Ægypto fuit. In primis indulgentiam christianis communi titulo datam tollit, subornatis legationibus civitatum, quæ peterent, ne intra civitates suas christianis conventicula extruere liceret, ut suasu coactus et impulsus facere videretur, quod erat sponte facturus. Quibus annuens,

novo more sacerdotes maximos per singulas civitates singulos ex primoribus fecit, qui et sacrificia per omnes deos suos quotidie facerent, et veterum sacerdotum ministerio subnixi, darent operam, christiani neque fabricarent, neque publice aut privatim colerent : sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent, vel judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, nisi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi pontifices superponeret; et eos utrosque candidis chlamydibus ornatos jussit incedere. Facere autem parabat, quæ jamdudum in Orientis partibus fecerat. Nam cum clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos Dei vetuit, debilitari jussit. Itaque confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculæ desecabantur.

XXXVII. Hæc ille moliens, Constantini litteris deterretur. Dissimulavit ergo. Et tamen si quis inciderat, mari occulte mergebatur. Consuetudinem quoque suam non intermisit, ut in palatio per singulos dies sacrificaretur. Et hoc primus invenerat, ut animalia omnia, quibus vescebatur, non a coquis, sed a sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorsus mensæ apponeretur, nisi aut delibatum, aut sacrificatum, aut perfusum mero; ut quisquis ad cœnam vocatus esset, inquinatus inde atque impurus exiret. In cæteris quoque magistri sui similis. Nam si quid reliqui, vel Diocles, vel Maximianus reliquerunt, hic abrasit, sine ullo pudore auferens omnia. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecæ obsignabantur, debita in futuros annos exigebantur. Hinc fames, agris ferentibus; hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia quotidiana, quibus eos adeo corruperat, ut aspernarentur annonam, et effundebant passim sine delectu, sine modo; quum satellites universos, quorum numerus ingens erat, pretiosis vestibus et aureis nummis

expungeret, gregariis et tyronibus argentum daret, barbaros omni genere largitionis honoraret. Nam quod viventium bona vel auferebat, vel dono suis dabat, [prout] quisque petierat aliena, nescio an [non] agendas illi fuisse gratias putem, quod more clementium latronum incruenta spolia detrahebat.

XXXVIII. Illud vero capitale, et supra omnes, qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, quid dicam nescio, nisi cæca et effrænata, et tamen his verbis exprimi pro indignatione sua non potest. Vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Eunuchi, lenones scrutabantur omnia. Ubicumque liberalior facies erat, secedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus fœminis vestes, itemque virginibus, et per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detrectaverat, in aqua necabatur; tanquam majestatis crimen esset sub illo adultero pudicitia. Aliqui, constupratis uxoribus, quas ob castitatem ac fidem carissimas habebant, cum dolorem ferre non possent, se ipsos etiam necaverunt. Sub hoc monstro, pudicitiæ integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat. Postremo hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis prægustator esset. Ingenuas virgines imminutas servis suis donabat uxores. Sed et comites ejus sub tali principe imitabantur [hoc exemplum, et civium] suorum cubilia impune violabant. Quis enim vindicaret? Mediocrium filias, ut cuique libuerat, rapiebat. Primariæ, quæ rapi non poterant, in beneficiis petebantur; nec recusari licebat, subscribente imperatore, quin aut pereundum esset, aut habendus gener aliquis barbarus. Nam fere nullus stipator in latere ei, nisi ex gente horum, qui a Gothis tempore vicennalium terris suis pulsi, Maximiano se tradiderunt, malo generis humani, ut illi barbaram servitutem fugientes, in

Romanos dominarentur. His satellitibus et protectoribus cinctus, Orientem ludibrio habuit.

XXXIX. Denique cum libidinibus suis hanc legem dedisset, ut fas putaret quidquid concupisset, ne ab Augusta quidem, quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare. Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, quum se putaret in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime quod habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardescit. Adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis præmissis in matrimonio postulat, ejecturus uxorem, si impetrasset. Respondit illa libere, quæ sola poterat : primo non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui, patris ejus; deinde illum impie facere, quod sibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus et sibi; postremo, nefas esse illius nominis ac loci fœminam sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exilium relegat; nec in locum certum : sed huc atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbat, et amicas ejus afflicto adulterio damnat.

XL. Erat clarissima fœmina, cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tanquam matrem alteram diligebat, cujus consilio negatam sibi suspicatur. Dat negotium præsidi Eratineo, ut eam cum dedecore interficiat. Huic aliæ duæ adjunguntur, æque nobiles, quarum altera Vestalem famulam virginem Romæ reliquerat, fugitivæ tunc Valeriæ familiaris. Altera virum habuit senatorem, non nimis Augustæ proxima. Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis ac pudicitiam necabatur. Rapiuntur subito mulieres, non ad judicium, sed ad latrocinium. Nec enim quisquam accusator extabat. Invenitur quidam Judæus ob alia

facinora reus, qui spe impunitatis inductus, adversus insontes mentiatur. Judex æquus et diligens extra civitatem cum præsidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur hæc tragœdia Nicææ. Irrogantur tormenta Judæo, dum quæ jussus [erat diceret; hæ, ne] loquerentur, pugnis a tortoribus coercentur : innocentes duci jubentur. Fletus et comploratio, non illius tantum mariti, qui aderat bene meritæ uxori, sed omnium, quos res indigna et inaudita contraxerat. Ac ne impetu populi de carnificum manibus raperentur, promoti militari modo instructi velites et sagittarii prosequuntur. Ita mediæ inter cuneos armatorum ad supplicium deductæ. Jacuissentque insepultæ, domesticis in fugam versis, nisi eas furtiva amicorum misericordia sepelisset. Nec adultero impunitas promissa persolvitur : sed patibulo affixus, aperuit omne mysterium, et sub extremo spiritu inquit omnibus, qui videbant, [ac] innocentes occisas esse testatur.

XLI. Augusta vero in desertas quasdam solitudines Syriæ relegata, patrem suum Diocletianum per occultos gnarum calamitatis suæ fecit. Mittit ille legatos, et rogat ut ad se filiam remittat. Nihil proficit. Iterum ac sæpius obsecrat. Non remittitur. Postremo cognatum suum quemdam militarem ac potentem virum legat, qui cum beneficiorum suorum admonitum deprecetur. Is quoque, imperfecta legatione, irritas preces renuntiat.

XLII. Eodemque tempore senis Maximiani statuæ Constantini jussu revellebantur, et imagines cum quo pictus esset, detrahebantur. Et quia senes ambo simul plerumque picti erant, et imagines simul deponebantur amborum. Itaque cum videret vivus, quod nulli unquam imperatorum acciderat, duplici ægritudine affectus, moriendum sibi esse decrevit. Jactabat se huc atque illuc, æstuante anima per dolorem, nec somnum, nec cibum capiens. Suspiria et ge-

mitus, crebræ lacrymæ, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum felicissimus imperator, ad humilem vitam dejectus adeo, et proculcatus injuriis, atque in odium vitæ dejectus, postremo fame atque angore confectus est.

XLIII. Unus jam supererat de adversariis Dei, cujus nunc exitum ruinamque subnectam [1]. Cum haberet æmulationem adversus Licinium, quia prælatus ei a Maximiano fuerat, licet nuper cum eo amicitiam confirmasset, tamen ut audivit Constantini sororem Licinio esse desponsam, existimavit affinitatem illam duorum imperatorum contra se copulari. Et ipse legatos ad urbem misit occulte, societatem Maxentii atque amicitiam postulatum. Scribit etiam familiariter. Recipiuntur legati benigne, fit amicitia, utriusque imagines simul locantur. Maxentius tanquam divinum auxilium libenter amplectitur. Jam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus. Unde suspicio inciderat, senem illum tam exitiabilem finxisse discordiam cum filio, ut ad alios succidendos viam sibi faceret, quibus omnibus sublatis, sibi ac filio totius orbis imperium vindicaret. Sed id falsum fuit. Nam id propositi habebat, ut et filio, et cæteris extinctis, se ac Diocletianum restitueret in regnum.

XLIV. Jam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis se Maxentius Romæ contineret, quod responsum acceperat, periturum esse, si extra portas urbis exisset, tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quod et patris sui exercitum receperat a Severo, et suum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum, et Maxentiani milites prævalebant; donec postea confirmato animo Constantinus, et ad utrumque paratus, copias omnes ad urbem propius admovit, et e regione Pon-

[1] *An.* 311.

tis Mulii consedit. Imminebat dies, quo Maxentius imperium ceperat, qui est ad sextum kalendas novembris; et quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete Constantinus, ut cœleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut jussus est, et transversa X littera, summo capite circumflexo, Christum in scutis notat. Quo signo armatus exercitus capit ferrum. Procedit hostis obviam sine imperatore, pontemque transgreditur. Acies pari fronte concurrit. Summa vi utrinque pugnatur. Neque his fuga nota, neque illis. Fit in urbe seditio, et dux increpitatur, velut desertor salutis publicæ. Tumque repente populus (circenses enim natali suo edebat) voce subclamat Constantinum vinci non posse.

Qua voce consternatus proripit se, ac vocatis quibusdam senatoribus, libros sibyllinos inspici jubet, in quibus repertum est, illo die hostem Romanorum esse periturum. Quo responso in spem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons a tergo ejus scinditur. Eo viso, pugna crudescit, et manus Dei supererat aciei. Maxentianus proterretur; ipse in fugam versus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium pressus, in Tiberim deturbatur. Confecto tandem acerbissimo bello, cum magna senatus populique Romani lætitia susceptus imperator Constantinus, Maximini perfidiam cognoscit, litteras deprehendit, statuas et imagines invenit. Senatus Constantino, virtutis gratia, primi nominis titulum decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat: ad quem victoria liberatæ Urbis cum fuisset allata, non aliter accepit, quam si ipse victus esset. Cognito deinde senatus decreto, sic exarsit dolore, ut inimicitias aperte profiteretur, convicia jocis mixta adversus imperatorem maximum diceret.

XLV. Constantinus, rebus in urbe compositis, hyeme proxima Mediolanum contendit. Eodem Licinius advenit,

ut acciperet uxorem. Maximiuus ubi eos intellexit nuptiarum solennibus occupatos, exercitum movit e Syria, hyeme quam cum maxime sæviente; et mansionibus geminatis, in Bithyniam concurrit, debilitato agmine. Nam maximis imbribus, et nivibus, et luto, et frigore, et labore jumenta omnis generis amissa sunt, quorum miserabilis per viam strages speciem jam futuri belli, et similem cladem militibus nuntiabat. Nec ipse intra fines suos moratus est: sed transjecto protinus freto, ad Byzantii portas accessit armatus. Erant ibi milites præsidiarii, ad hujusmodi casus a Licinio collocati. Hos primum muneribus et promissis illicere tentavit: postea vi et oppugnatione terrere; nec tamen quidquam vis aut promissa valuerunt.

Jam consumpti erant dies undecim, per quos fuit spatium nuntios litterasque mittendi ad Imperatorem, cum milites non fide, sed paucitate diffisi, seipsos dederunt. Hinc promovit Heracleam; et illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempus amisit. Et jam Licinius, festinato itinere, cum paucis Adrianopolim venerat, cum ille, accepta in deditione Perintho, aliquanto moratus, processit ad mansionem millia decem et octo. Nec enim poterat ulterius, Licinio jam secundam mansionem tenente distantem millibus totidem; qui, collectis ex proximo quantis potuit militibus, pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur, quam proposito dimicandi, aut spe victoriæ. Quippe cum ille septuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipse vix triginta millium numerum collegisset. Sparsi enim milites per diversas regiones fuerant, et adunari omnes angustiæ temporis non sinebant.

XLVI. Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum prope diem prælium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut si victoriam cepisset, Christianorum nomen extingueret, funditusque deleret. Tunc proxima nocte

Licinio quiescenti asistit Angelus Dei, monens ut ocius surgeret, atque oraret Deum summum cum omni exercitu suo; illius fore victoriam, si fecisset. Post has voces, cum surgere sibi visus esset, et cum ipso qui monebat, astaret, tunc docebat eum quomodo et quibus verbis esset orandum. Discusso deinde somno, notarium jussit acciri, et, sicut audierat, hæc verba dictavit : « Summe Deus, te ro-» gamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem justitiam tibi » commendamus, salutem nostram tibi commendamus, im-» perium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per » te victores et felices existimus. Summe sancte Deus, pre-» ces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus. Exaudi, » sancte summe Deus. » Scribuntur hæc in libellis pluribus, et per Præpositos Tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis, victoriam sibi credentibus de cœlo nuntiatam. Statuit Imperator prælium dici Kalendarum Maiarum, quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant; ut suo potissimum natali vinceretur, sicut ille victus est Romæ. Maximinus voluit præire maturius : pridie mane aciem composuit, ut natalem suum postridie victor celebraret. Nuntiatur in castra movisse Maximinum : capiunt milites arma, obviamque procedunt. Campus inter erat sterilis ac nudus, quem vocant Serenum. Erat jam utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cœlum manus tendunt, præeuntibus Præpositis, et post Imperatorem precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Illi, oratione ter dicta, virtute jam pleni, reponunt capitibus galeas, scuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac desertum iri a militibus existimabat, quod ille esset in largiendo tenax, ipse autem profusus; eoque proposito moverat bellum, ut, exercitu Licinii sine certamine

accepto, ad Constantinum duplicatis viribus statim pergeret.

XLVII. Ergo propius acceditur, tubæ canunt, signa procedunt. Liciniani, impetu facto, adversarios invadunt. Illi vero perterriti, nec gladios expedire, nec tela jacere quiverunt. Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus sollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, et ad suos refugit. Cædebatur acies ejus impune, et tantus numerus legionum, tanta vis militum a paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum præmiorum memor; quasi ad devotam mortem, non ad prælium venissent, sic eos Deus summus jugulandos subjecit inimicis. Jam strata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri, quam putabat. Projicit purpuram, et sumpta veste servili, fugit, ac fretum trajecit : at in exercitu pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita, vel in fugam versa est. Ademerat enim pudorem deserendi desertor Imperator. At ille Kalendis Maiis[1], id est, una nocte atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit, cum locus prælii abesset millia centum sexaginta; raptisque filiis, et uxore et paucis ex palatio comitibus, petivit Orientem. Sed in Cappadocia, collectis ex fuga et ab Oriente militibus, substitit. Ita vestem resumpsit.

XLVIII. Licinius vero, accepta exercitus parte ac distributa, trajecit exercitum in Bithyniam paucis post pugnam diebus, et Nicomediam ingressus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit; ac die Iduum Juniarum[2], Constantino atque ipso ter Consulibus, de restituenda Ecclesia hujusmodi litteras ad Præsidem datas proponi jussit.

LITTERÆ LICINII.

« Cum feliciter, tam ego Constantinus Augustus, quam

[1] *An.* 313. — [2] *Ejusd. an.* 313.

» etiam ego Licinius Augustus, apud Mediolanum convenis-
» semus, atque universa, quæ ad commoda et securitatem
» publicam pertinerent, in tractatu haberemus, hæc inter
» cætera, quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel
» in primis ordinanda esse credidimus, quibus divinitatis re-
» verentia continebatur, ut daremus et Christianis, et om-
» nibus liberam potestatem sequendi religionem, quam quis-
» que voluisset, quo quidem divinitas in sede cœlesti, nobis
» atque omnibus, qui sub potestate nostra sunt constituti,
» placata ac propitia possit existere. Itaque hoc consilio sa-
» lubri ac rectissima ratione ineundum esse credidimus, ut
» nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel
» observationi Christianorum, vel ei religioni mentem suam
» dederat, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret; ut possit
» nobis summa divinitas, cujus religionis liberis mentibus ob-
» sequimur, in omnibus solitum favorem suum benevolen-
» tiamque præstare. Quare scire Dicationem tuam convenit,
» placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus,
» quæ prius scriptis ad officium tuum datis super Christiano-
» rum nomine videbantur, nunc vere ac simpliciter unusquis-
» que eorum, qui eamdem observandæ religionis Christia-
» norum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem ac
» molestiam sui idipsum observare contendant. Quæ sollici-
» tudini tuæ plenissime significanda esse credidimus, quo
» scires, nos liberam atque absolutam colendæ religionis suæ
» facultatem hisdem Christianis dedisse. Quod cum hisdem
» a nobis indultum esse pervideas, intelligit Dicatio tua,
» etiam aliis religionis suæ vel observantiæ potestatem simi-
» liter apertam, et liberam pro quiete temporis nostri esse
» concessam; ut in colendo quod quisque delegerit, habeat
» liberam facultatem, quia [nolumus detrahi] honori, ne-
» que cuiquam religioni aliquid a nobis. Atque hoc insuper in
» persona Christianorum statuendum esse censuimus, quod

» si eadem loca, ad quæ antea convenire consueverant, de
» quibus etiam datis ad officium tuum litteris certa antehac
» forma fuerat comprehensa, priore tempore aliqui vel a
» fisco nostro, vel ab alio quocumque videntur esse mercati,
» eadem Christianis sine pecunia, et sine ulla pretii peti-
» tione, postposita omni frustratione atque ambiguitate,
» restituantur. Qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem si-
» militer hisdem Christianis quantocius reddant : etiam vel
» hi qui emerunt, vel qui dono fuerunt consecuti, si peti-
» verint de nostra benivolentia aliquid, Vicarium postulent,
» quo et ipsis per nostram clementiam consulatur. Quæ om-
» nia corpori Christianorum protinus per intercessionem
» tuam, ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem
» Christiani non ea loca tantum, ad quæ convenire consue-
» verunt, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis
» eorum, id est, Ecclesiarum, non hominum singulorum,
» pertinentia, ea omnia lege, qua superius comprehen-
» dimus, citra ullam prorsus ambiguitatem vel controver-
» siam hisdem Christianis, id est, corpori et conventiculis
» eorum reddi jubebis, supradicta scilicet ratione servata,
» ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerent,
» indemnitatam de nostra benivolentia sperent. In quibus
» omnibus supradicto corpori Christianorum intercessionem
» tuam efficacissimam exhibere debebis, ut præceptum nos-
» trum quantocius compleatur, quo etiam in hoc per cle-
» mentiam nostram quieti publicæ consulatur. Hactenus fiet,
» ut, sicut superius comprehensum est, divinus juxta nos
» favor, quem in tantis sumus rebus experti, per omne
» tempus prospere successibus nostris cum beatitudine nos-
» tra publica perseveret. Ut autem hujus sanctionis beni-
» volentiæ nostræ forma ad omnium possit pervenire noti-
» tiam, perlata programmate tuo hæc scripta et ubique pro-
» ponere, et ad omnium scientiam te perferre conveniet,

» ut hujus benivolentiæ nostræ sanctio latere non possit. »

His litteris propositis, etiam verbo hortatus est, ut conventicula in statum pristinum redderentur. Sic ab eversa Ecclesia usque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minus quatuor.

XLIX. Sequenti autem Licinio cum exercitu tyrannum, profugus concessit, et rursus Tauri montis augustias petiit: munimentis ibidem ac turribus fabricatis, iter obstruere conatus est; et inde dextrorsum perrumpentibus omnia victoribus, Tarsum prostremo confugit. Ibi cum jam terra marique peteretur, nec ullum speraret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem, quasi ad remedium malorum, quæ Deus in caput ejus ingessit. Sed prius cibo se infersit, ac vino ingurgitavit, ut solent hi, qui hoc ultimo se facere arbitrantur. Et sic hausit venenum. Cujus vis, referto stomacho repercussa, valere non potuit in præsens, sed in languorem malum versa pestilentiæ similem, ut diutius protracto spiritu cruciamenta sentiret. Jam sævire in eum cœperat virus; cujus vi cum præcordia ejus furerent, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est, adeo ut per dies quatuor, insania percitus, haustam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos gravesque cruciatus, cum caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum, amisso visu, Deum videre cœpit candidatis ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii, qui torqueri solent; et non se, sed alios fecisse dicebat. Deinde, quasi tormentis adactus, fatebatur, Christum subinde deprecans, et plorans ut suimet misereretur. Sic inter gemitus, quos tanquam cremaretur, edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit.

L. Hoc modo Deus universos persecutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps, nec radix ulla remaneret.

Nam Licinius summa rerum potitus, in primis Valerium, quem Maximinus iratus, nec post fugam quidem, cum sibi videret esse pereundum, fuerat ausus occidere; item Candidianum, quem Valeria ex concubina genitum ob sterilitatem adoptaverat, necari jussit. Mulier tamen, ut eum vixisse cognovit, mutato habitu, comitatui ejus se miscuit, ut fortunam Candidiani specularetur; qui quia Nicomediæ se obtulerat, et in honore haberi videbatur, nihil tale metuens, occisus est. Et illa, exitu ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam ætate robustum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie secutus, tanquam post obitum ejus de sumenda purpura cogitasset, capitali sententiæ subjectum interemit. Qui omnes Licinium jam pridem, quasi malum metuentes, cum Maximino esse maluerant, præter Valeriam, quæ volens Licinio in omnes Maximiani hæreditates jure suo cedere, idem Maximino negaverat. Ipsius quoque Maximini filium, tum maximum, agentem in annis octo, et filiam septennem, quæ desponsa fuerat Candidiano, extinxit. Sed prius mater eorum in Orientem præcipitata est. Ibi sæpe illa castas fœminas mergi jusserat. Sic omnes impii, vero et justo judicio Dei, eadem, que fecerant, receperunt.

LI. Valeria quoque per varias provincias quindecim mensibus plebeio cultu pervagata, postremo apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre pœnas dedit. Ductæ igitur mulieres cum ingenti spectaculo et miseratione tanti casus ad supplicium, et, amputatis capitibus, corpora earum in mare abjecta sunt. Ita illis pudicitia et conditio exitio fuit.

LII. Quæ omnia secundum fidem (scienti enim loquor), ita ut gesta sunt, mandanda litteris credidi; ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut, si quis historiam scribere voluisset, corrumperet veritatem, vel peccata illo-

rum adversus Deum, vel judicium Dei adversus illos reticendo. Cujus æternæ pietati gratias agere debemus, qui tendem respexit in terram, quod gregem suum partim vastatum a lupis rapacibus, partim vero dispersum, reficere ac recolligere dignatus est, et bestias malas extirpare, quæ divini gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant. Ubi sunt modo magnifica illa et clara per gentes Joviorum et Herculiorum cognomina, quæ primum a Dioclete ac Maximiano insolenter assumpta, ac postmodum ad successores eorum translata, viluerunt? Nempe delevit ea Dominus, et erasit de terra.

Celebremus igitur triumphum Dei cum exultatione, victoriam Domini cum laudibus frequentemus, diurnis nocturnisque precibus celebremus; celebremus, ut pacem, post annos decem plebi suæ datam, confirmet in sæculum. Tu præcipue, Donate carissime, qui a Deo mereris audiri, Dominum deprecare, ut misericordiam suam servet æternam famulis suis propitius ac mitis; ut omnes insidias atque impetus diaboli a populo suo arceat; ut florescentes Ecclesias perpetua quiete costodiat.

CONCORDANTIA

LATINÆ COLLECTIONIS ET BIBLIOTHECÆ GALLICÆ.

Collectio Latina, tom. XVI.	*Bibliotheca Gallica.*
S. Method. Convivium Virginum, p. 5.	Tom. V, p. 120.
Lactantii de Opificio Dei, p. 197.	Tom. III, p. 445.
— de Ira Dei, p. 245.	*Ibid.*, p. 465.
— de Mortibus Persecutorum, p. 299.	*Ibid.*, p. 467.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), p. 28.

Dum ait S. Methodius Adamum fuisse a verbo assumptum, non ita intelligendum hoc est, quasi totum corpus et anima, et individua natura primi hominis Christo carnem assumenti unita fuerit: sed quod caro ex Adamo propagata, et quæ parte sui quadam in ipso extiterit, assumpta fuerit a Verbo se incarnante. Atque ideo Adamus ipse quodammodo secundum aliquid sui Christus fuerit.

Annot. (2), pag. 62.

Pater major auctoritate principii; non divinitate et fide, quod argumentatio hæc assumit.

Annot. (3), pag. 81.

Id est, unum ex Personis.

ANNOT. (4), pag. 105.

Millenariorum præscripta opinio.

ANNOT. (5), pag. 107.

Dura hæc, nec ita ut sonant admittenda.

ANNOT. (6), pag. 110.

At Eliæ arbor juniperus ab his diversa.

ANNOT. (7), pag. 133.

Errat cum multis antiquis, ut sæpe animadversum est, cum nos in terra post resurrectionem habitaturos docet. Hic sæpe explosus millenariorum error.

ANNOT. (8), pag. 153.

Non augeri a terra arbores, nova sententia.

ANNOT. (9), pag. 156.

Quare cum caro inter confinia corruptionis et incorruptionis.... condita esset, et reliqua, usque ad finem.] Hæc, quamvis supra legantur, pag. 137 et seq., et quidem pene ad verbum (sed aliis permixta), non hic abjicienda censuimus; ne aliquid deesse in excerptis Photianis videretur. Idem dicendum de loco proxime annotato.

ANNOT. (10), pag. 157.

Vidi, inquit,... usque ad finem.] Quæ in præcedenti annotatione animadversa sunt, inibi quoque dicta sunto. Porro primum legebatur narratiuncula ista (altrinsecus sibi parum dissimilis), supra, in posteriori paginæ 140 parte.

ANNOT. (11), pag. 164.

Dura hæc de anima, sit ipsa corporea.

ANNOT. (12), pag. 166.

Non prohibet ne illis fidei doctrina proponatur, quæ etiam potuerit sacra accipi : sed ut ne sacratiora et occultiora. Hæc enim jam in fide perfectis sunt congrua. Cæterum, qui non ita frumenti mensuram Evangelicæ prædicationis dispensant, quamquam fuerint *fideles dispensatores*, haud tamen *prudentes* dixerit justus Judex. Quare etiam fuit prima expositio parabolæ juxta proprium illius sensum : sed et sequens nihilominus consideratio optima est, ac digna scribentis ingenio.

ANNOT. (13), pag. 171.

Arianica vox, qua Filii dignitas prorsus detrahatur.

ANNOT. (14), ibid.

Locus non orthodoxe satis expositus.

ANNOT. (15), pag. 225.

Non hic rationalem intelligas, sed vitalem illam nobis cum brutis communem.

ANNOT. (16), pag. 248.

Theologi distingunt inter malum pœnæ et malum culpæ; prioris auctor est Deus, culpæ non item.

ANNOT. (17), pag. 277.

Simul Deum PROPOSUISSE *bonum ac malum.*] Id est, *permisisse.* Hic loquitur de malo culpæ.

INDEX

TOMI DECIMI SEXTI.

S. METHODIUS

EPISCOPUS ET MARTYR.

	Pag.
S. Methodius. (Circa an. 312.) Græcus.	3
CONVIVIUM DECEM VIRGINUM, sive DE CASTITATE.	5
Personarum index.	Ib.
Prologus.	Ib.
Oratio I. — Marcella.	9
Orat. II. — Theophila.	16
Orat. III. — Thalia.	25
Orat. IV. — Theopatra.	40
Orat. V. — Thallusa.	49
Orat. VI. — Agatha.	55
Orat. VII. — Procilla.	61
Orat. VIII. — Thecla.	70
Orat. IX. — Tysiana.	97
Orat. X. — Domnina.	106
Orat. XI. — Arete.	115
LIBRI DE RESURRECTIONE FRAGMENTA.	127
LIBRI DE CREATIS FRAGMENTA.	165
LIBRI DE LIBERO ARBITRIO FRAGMENTA.	172

L. CÆC. FIRMIANUS LACTANTIUS.

Luc. Cæcil. Firmianus Lactantius. (Circa an. 325.) Latinus.	193
LIBER DE OPIFICIO DEI.	197
Caput I. — Proœmium, et adhortatio ad Demetrianum.	Ib.
Cap. II. — De generatione belluarum et hominis.	200

Cap. III. — De conditione pecudum et hominis. 202
Cap. IV. — De imbecillitate hominis. 205
Cap. V. — De figuris animalium et membris. 209
Cap. VI. — De Epicuri errore, et de membris eorumque usu. 211
Cap. VII. — De omnibus corporis partibus. 214
Cap. VIII. — De hominis partibus, oculis et auribus. 216
Cap. IX. — De sensibus, eorumque vi. 219
Cap. X. — De exterioribus hominis membris, eorumque usu. 220
Cap XI. — De intestinis in homine, eorumque usu. 224
Cap. XII. — De utero, et conceptione, atque sexibus. 227
Cap. XIII. — De membris inferioribus. 230
Cap. XIV. — De intestinorum quorumdam ignota ratione. 232
Cap. XV. — De voce. 233
Cap. XVI. — De mente, et ejus sede. 234
Cap. XVII. — De Anima, deque ea sententia Philosophorum. 237
Cap. XVIII. — De Anima et Animo, eorumque affectibus. 239
Cap. XIX. — De anima, eaque a Deo data. 240
Cap. XX. — De seipso, et Veritate. 242

LIBER DE IRA DEI. 245

Caput I. — De Sapientia divina et humana. Ib.
Cap. II. — De Veritate, deque ejus gradibus; atque de Deo. 247
Cap. III. — De bonis et malis in rebus humanis, eorumque auctore. 248
Cap. IV. — De Deo, deque ejus affectibus; Epicurique reprehensione. 249
Cap. V. — De Deo Stoïcorum sententia; de Ira et Gratia ejus. 251
Cap. VI. — Quod Deus irascatur. 254
Cap. VII. — De Homine et Brutis, ac Religione. Ib.
Cap. VIII. — De Religione. 257
Cap. IX. — De Providentia Dei, deque sententiis illi repugnantibus. 259
Cap. X. — De Mundi ortu, et rerum natura, et Dei providentia. 260
Cap. XI. — De Deo, eoque uno, cujusque providentia mundus regatur, et constet. 268
Cap. XII. — De Religione, et Dei timore. 270
Cap. XIII. — De mundi et temporum commodo et usu. 271
Cap. XIV. — Cur Deus fecerit hominem. 275
Cap. XV. — Unde ad hominem peccata pervenerint. 276
Cap. XVI. — De Deo, ejusque ira et affectibus. 278

Cap. XVII. — De Deo, ejus cura et ira. 280
Cap. XVIII. — De Peccatis vindicandis, sine ira fieri non posse. 283
Cap. XIX. — De Anima et Corpore, deque Providentia. 286
Cap. XX. — De Peccatis, et Dei misericordia. 287
Cap. XXI. — De Ira Dei et hominis. 289
Cap. XXII. — De Peccatis; deque iis recitati versus Sibyllæ. 291
Cap. XXIII. — De Ira Dei, et peccatorum punitione; deque ea Sibyllarum carmina recitata: castigatio præterea, et adhortatio. 293

LIBER DE MORTIBUS PERSECUTORUM. 299

CONCORDANTIA Bibliothecæ Gallicæ et Latinæ Collectionis. 345
ANNOTATIONES. Ib.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BR65.L21842 C001 V001
LUCII CAECILII FIRMIANI LACTANTII OPERA

3 0311 00011 9425

BR 65 .L2 1842 v. 1

Lactantius, ca. 240-ca. 320.

Lucii Caecilii Firmiani
Lactantii opera

BR 65 .L2 1842 v. 1

Lactantius, ca. 240-ca. 320.

Lucii Caecilii Firmiani
Lactantii opera

DEMCO

3 0311